


P V I S


1 6 1 8



EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS,

Lib. 21.





8/2.2  
1936

Explicatio  
**ORATIO**  
NIS CICERONIS PRO  
ARCHIA POETA, OSTEN-  
dens usum artis Dialecticæ & Rhea-  
toricæ, tradita in Schola Lunæ-  
burgensi.

Ab  
*Alberto Lenicero Rectore.*

16



05.

*WITTEBERGAE,*  
*Excudebat Laurentius Senberlich,*  
*Impensis Samuelis Selsisch.*





AD STUDIOSUM  
PUERVM.

**E** Loquij quisquis cura studioq; tenetur,  
Quemq; iuuat purè verba latina loqui.  
Audiat assiduo studio re' egatq; labore,  
Ingenij libros Marce discrete, tui.  
Tu pater es Latij sermonis & unicus autor,  
In labris habitat Suada venusta tuis.  
Tu dictis animos mu'ces, tu pectora flectis,  
Tu quauing; voles parte movere, moves.  
Te solum pubes studijs addicta seq' atur,  
Et puro & terso si volet ore loqui.  
A te civilis petitur sapientia vitæ,  
Publica quæ placido commoda iure regit.  
Ut fias igitur sapiens fiasq; disertus,  
Scripta puer semper fac Ciceronis ames.



OPTIMA INDO-  
LE PRÆDITO ADOLE-  
SCENTI HARDUICO STRV-

*vero Patricio Lunaburgensi, suo  
discipulo carissimo.*

**G**raviter Cicero in Oratione  
pro Murena dixit, Duas esse  
artes, quæ possent homines  
locare in amplissimo gradu dignitatis,  
quarum una sit Imperatoris altera O-  
roris boni, ab hoc enim pacis orna-  
menta retinentur, ab illo verò belli  
pericula propul'antur.

Nihil autem hoc tempore de Impe-  
ratoris boni dignitate dicam, qui facit,  
ut cives opibus firmi, copiis locuple-  
tes, gloria ampli & virtute honesti esse  
possint, sed cum boni Oratoris effici-  
um intuemur, non possumus non af-  
firmare, duas esse hominis proprias ac  
summas virtutes, quæ & universæ vi-  
tæ humanæ gubernationē continent,  
& ab omnibus, qui in studiis literarū  
versantur, magna cum cura & diligen-  
tia toto pectore expetendæ sunt, co-  
gnitio videlicet rerum bonarū, & vitæ  
humanae

EPISTOLA

humanæ utilium, & dicendi facultas, qua commodè & dilucidè res mente perceptas & cognitatas alijs exponere, & explicare possimus. Estq; hic præcipuus & ultimus finis, omnibus sanis in discendo, & in omni vitæ institutione propositus, ut & mentes veris sententijs de Deo, de natura rerum, de tota vitæ gubernatione instruant, & mediocrem sibi facultatem propriè ac dilucidè animorum sensa, ac cogitationes exprimendi comparent. Itaque apud Xenophontem vir sapientissimus Socrates asseverat, eos solummodo honoribus dignos esse, qui & cognitione variarum rerum præstent, & dicendi facultate plurimum valeant.

Idem apud Thucydidem Pericles sapientiæ laude celebris docet, cum disserit, cum virum anteferendū universæ multitudini, *ὅς εἰδὲι ἢ τῶν εἴη γινώσκειν τὰ δέοντα ἢ ἐρμηνεύσαι ταῦτα.* Homerus etiam, cum sapientissimi regis imaginem proponit utriusq; virtutis laudem ei tribuit. Inquit enim de Vlyffe *ὦ κύριε*

μὲν



DEDICATORIA.

μὲν μορφῇ ἐπίων, ἐνὶ ᾧ φρένες ἐσθλαί. Id est, *Mente vales, iuncta est facundis gratia dictis.*

Cum igitur præcipua studia nostra ad Ecclesiæ & Reipublicæ utilitatē dirigenda sint, in hanc curam summo studio incumbere debemus, ut primū animos nostros *σωέσθ*, hoc est, vera doctrina de Dei agnitione & invocatione, de natura rerum, de moribus, & de ijs rebus omnibus, quæ ad vitæ gubernationem necessaria sunt, instituamus, postea etiam mediocri sedulitate nobis *δύναμιν ἐρμηνευτικῆν* paremus, qua instructi possimus alios de rebus necessarijs & utilibus commodè, propriè & dilucidè docere.

Ad hoc autem summum in genere humano ornamentum nemo sine magno labore, studio ac quotidiana exercitatione pervenire potest. Est q̄; in primis necessarium, ut in dicendo & scribendo unius boni ac eloquentis oratoris scripta imitemur. Cum verò Ciceronis in compositione diligentia

EPISTOLA

Summa fuerit, hunc iuventuti. Magistrum, hoc exemplum maximè proponere debemus, ut discat hunc toto animo, totaq; mente intueri, & hunc familiarissimum sibi facere, ut scribens imaginem orationis eius intueatur, ad eamq; cogitationes ac stylum dirigat. In qua re mediocrem me diligentiam adhibuisse non ignoras, Harduice carissime, qui me annos fermè tres docentem audivisti. Cum vero huius Orationis editionē amici a me efflagitarent, eam tibi dedicare volui, ut mei erga te studij & amoris testimonium matri tuæ, matronæ honestissimæ, ostenderem, & te in optimarum artium studio semel feliciter suscepto confirmarem. Natus es in amplissima familia, patrem habuisti virum omni genere virtutum clarissimum, qui tibi illustribus multarum laudatissimarum virtutum exemplis præluxit, quem te imitari omnino decet, ut de te illud Manuani, Poëtæ castissimi, dici possit:

*In sobolem transire patris cum semine virtus  
Sæpè solet, res: utq; satus quo quiq; parente est.*

*Adde*

## DEDICATORIA.

*Adde quæ audite laudes & clara parentum  
Facta movent animos, generosaq; corda nepotum  
Sollicitant, & calor habent, abiguntq; veterum.*

Tu mi Harduice hoc scholasticum  
munus in officina literaria patriæ tuæ  
adornatum bono animo excipe, & o-  
ptimam meam erga te voluntatem,  
qua decet benevolentia, complectere.  
Filius Dei Dominus noster Iesus  
Christus studiatua regat, eaq; tibi ac  
multis aliis, præcipuè vero huic incly-  
tæ Reipub. salutaria faciat. Bene ac fe-  
liciter cum matre ac sororibus tuis ca-  
rissimis vale. Lunæburgi, die primo  
Augusti. Anno 1570.

*M. Albertus Lenicerus  
Schola Luneburgensis  
Rector.*

M 4 PRO.

PROLEGOMENA  
IN ORATIONE  
nem Ciceronis pro  
Archia.

**D**VO SVNT STVDIORVM  
fines, & totius gubernationis Vitæ hu-  
manæ organa & ornamenta præcipua,  
quæ apud Thucydidem Pericles nomi-  
nat γνώσκειν τὰ δέοντα καὶ ἐρμηνεύσαι τὰ αὐτὰ,  
id est, rectè de rebus omnibus cognitu necessarijs  
sentire ac iudicare, & ea quæ sentias, commodè &  
perspicuè eloqui, & alijs explicare. Ut igitur in o-  
mni cuiuscumq; autoris boni, ita in Ciceronis etiam  
lectiõne initio constituendum est, quam inde utilita-  
tem & fructum referre possimus, tum ad σύνεσις  
seu rerum cognitionem, & formandum iudicium,  
tum ad δύναμις ἐρμηνευτικῆς seu facultatem  
propria & perspicua oratione res animo con-  
ceptas exponendi. Plurimum autem ad utrumq;  
studiorum finem Ciceronis lectio conducit. Nam  
σύνεσις πολιτικῆς, seu sapientiam gubernatri-  
cem Reipublicæ, ac imperiorum, & doctrinam de  
multis vitæ consilijs, & actionibus prudenter ac re-  
ctè instituendis Cicero non orationibus tantummodo  
& sententijs gravissimis, verum etiam insignibus  
consiliorum ac eventuum exemplis illustrat. Præte-  
rea quod ad δύναμις ἐρμηνευτικῆς attinet, Ci-  
cero

## PROLEGOMENA.

Cicero unicum eloquentiæ lumen, & satis abundè in facultate dicendi & scribendi iuventutem informans, nec ab alio puritas latinæ linguæ haurienda aut discenda est quàm ex scriptis Ciceronianis.

Cum autem post enarrationem orationis pro M. Marcello aliam in manus sumendam esse viderem, elegi propter facilitatem dictionis & materiæ, hanc, quam pro præceptore suo Archia Cicero habuit, in iuius explanatione hoc præcipuè conabor, ut rudis & ignara iuventus, præceptorum Rhetoricæ usum cognoscat & intelligat.

Sed priusquam ad auctoris orationem perveniamus, iuniores monendi sunt de exercitijs styli.

DEINDE, de consilio Ciceronis, quo hanc orationem habuit.

TERTIO, de Argumento.

QUARTO, de genere causæ.

QUINTO, de singulorum membrorum dispositione & serie.

SEXTO, de doctrina Ethica, quæ ex hac oratione haurienda sit.

POSTREMO, de puritate dictionis seu phrasæ.

Quantum ad styli exercitationem attinet, prolixissimum esset, omnes eius utilitates hic repetere. Observent autem iuniores breviter hæc exercitationis styli utilitates:

## PROLEGOMENA.

Primum, Ideo stylum exercere cogimur, ut doctrinam Ecclesie rectè explicare & proponere queamus.

Secundo, Ut Reipublice oratione profimus.

Tertio, Ut consilia principum, ciuitatum, & omnium in legationum obire queamus.

Quarto, Ut in Scholis artes, linguas & doctrinam de Deo commodè proponamus, ac feliciter propagemus.

Quinto, Ut in communi vita expeditissimam rationem habeamus scribendarum Epistolarum ac Orationum.

## DE CONSILIO CICERONIS in recitanda hac oratione & simul de Argumento.

Cicero vnicum eloquentie lumen, cum videret, omnia studia & precipue eloquentiam communi hominum societati, & precipue amicis, & illis, à quibus antea beneficijs affecti sumus, prodesse debere, non grauatim operam suam A. Licinio Archie Poetae Græco & præceptoris suo offert. Cum igitur Archias iam senex à Græcho quodam apud Prætorem accusaretur, quod non esset ciuis Romanus, & falso illud sibi nomen ascriberet, eum in hac oratione Cicero, tunc propter

## PROLEGOMENA.

propter eruditionem atq; doctrinam, tum propter ipsius in se merita ( Nam puerum Ciceronem Archias docuit ) defendit. Orationem habuit Cicero coram Praetore, magno eruditissimorum hominum, & eorum qui literis favebant, concursu, ostendit, Archiam non solum civem esse, verum si non esset civis, dignum tamen esse, qui ob ingenium, artem Poeticam, & linguam Graecam civitatis iure, alijsq; premijs donaretur.

## De genere causæ.

In Rhetorica diximus, d'o aliquando causarum genera in oratione concurrere, cuius rei hic habes exemplum. Prior enim pars huius orationis est generis Iudicialis, defenditur enim apud Praetorem Archias, quod sit civis Romanus. Cum igitur sit in genere Iudiciali, necessario constituendus est status orationis. Est igitur hac oratio in statu coniecturali, Cicero dicit Archiam esse civem, Gracchus dicit, Archiam non esse civem. Hinc oritur questio, An Archias sit civis.

Inventionem habitam seu constitutam, sequitur, ut de dispositione dicamus.

Promissi hesternae lectione, me repetiturum breviter præcepta artis Rhetoricæ in huius orationis explicatione. Cum igitur de inventionem satis dictum sit, sequitur ut ad dispositionem perveniamus.

## PROLEGOMENA.

perveniamus. Ergo iuxta partes orationis Rhetorices de dispositione dicamus, Idq; primò de dispositione exordij. Hic utilissimum erit ea cognovisse, quæ superius de exordij dispositione in genere dicta sunt.

### Dispositio Exordij.

Vehementer conducit, ut scripturus vel lecturus aliquem autorem, totius orationis capita breviter animo comprehendat, & nuda ac principalia membra complectatur. Sic enim scripturus melius videbit, quæ ornamenta accedere possint, & lecturus de scripto rectius iudicabit. Hac igitur causa adducti, colligamus primo membro huius exordij iuxta rationem in Rhetorica traditam.

PRIMUM. Sententia quædam ponitur veluti exordij propositio, ex qua totum exordium nascitur. Hæc sententia petitur vel à personis vel rebus ipsis, vel ab adiunctis personis & rebus.

SECUNDO. Sequitur ratio seu causa superioris sententiæ.

TERTIO. Hæc ratio amplificatur vel adversativa, vel occupatione, vel simili quodam ornamento.

QUARTO. Additur Epilogus, in quo  
summa.



## PROLEGOMENA.

summatim reperuntur membra in confirmatione posita.

Atq; hæc est exordij dispositio: nunc sequitur applicatio horum præceptorum ad textum Ciceronis.

Cicero in hoc exordio loco propositionis ponit sententiam sumtam à sua propria persona, & ex officio referendæ gratiæ, Videlicet: Ego debeo Archiam tueri & defendere.

SECUNDO Sequitur ratio, hoc est, prolatio huius sententiæ: Quia Archias adiuuit hoc meum studium dicendi.

TERTIO. Sequitur Epilogus: Cum beneficio Archiæ alijs opem ferre possim, decet ut ipsum quoq; defendam.

Hæc membra Dialecticorum more posita, tale faciunt Enthymema.

Archias adiuuit meum studium dicendi.

Ergo Archias rursus est adiuuandus.

Si integrum syllogismum facere volueris, adde maiorem propositionem, quæ omissa est:

Quisquis adiuuat alterius studium dicendi & eloquentiæ, ille rursus est adiuuandus.

QUARTO. Addit duas occupationes, quibus amplificat suam rationem. Nam cum dixerit, se Archiæ studijs adiuutum esse, potuisset aliquis obijcere: Quid te oratorem adiuuare potuit

## PROLEGOMENA.

Quid poëta? Respondet Cicero Iudices, Poëta Oratorem iuvare potest multum, plus plurimum, (ut ita loquar) quia artes sunt inter se cognatae, & ut alibi Cicero inquit, catenatae.

Secunda occupatio est: In foro controversiae forenses tractandae sunt, non recitandae commendationes studiorum. Respondet Cicero Quia pro Poëta & vero docto ita convenit dicere, ne Archias, quod non est versatus in foro magis perturbetur, si usitatae conventiones instituta fuerint.

Hæc est Dialectica Exordij dispositio.



TEX.

ORATIO CIC. PRO ARCHIA.  
TEXTUS ORATIONIS  
EIVSQUE EXPLICATIO.

**S**iquid est in me in-  
genij, iudices, quod  
sentio, quàm sit exigu-  
um, aut si qua exerci-  
tatio dicendi, in qua  
me non inficior medi-  
ocriter esse versatum,  
aut si huiusce rei ratio

aliqua ab optimarum artium studijs &  
disciplina profecta, à qua ego nullum  
confiteor ætatis meæ tempus abhorru-  
isse, earum rerum omnium vel impri-  
mis hic A. Licinius fructum à me re-  
petere propè suo iure debet.

*Propositio exor. dñj  
à propria Ciceronis  
persona & ex offi-  
cio referendæ gra-  
tiæ sumpta.*

*Institutionem et di-  
sciplinam non sine  
causa coniungit.*

*Si quid) Propositio exordij: Eloquentia mea de-  
bet prodesse Archiæ. Sed hic vide adolescens, ma-  
gnam inter Dialecticam & Rhetoricam differentiam.  
Cicero enim hanc brevem propositionem miro oratio-  
nis incremento exornat.*

*Quam sit exiguum) In Rhetoricis habuimus  
orationum vestibula non debere esse pomposa, aut ar-  
rogantia, sed modesta, præsertim cum de nostra per-  
sona agimus.*

*Cicero*

ORATIO CICERONIS.

Cicero lib. 3. ad Heren. In omni doctrina infirma est omnis artis præceptio sine summa assiduitate exercitationis.

Aut si huiusce rei ratio ) q. d. Quantum valeo ingenio, exercitatione, & facultate dicendi, ea nunc Archiam iuvare debeo.

Earum rerum ) quas ingenio, quas exercitatione, quas disciplina adeptus sum.

Prope suo iure ) Fit enim meus præceptor qui ius habet repetendi beneficium à discipulo. Et observent iuniores hos versus :

Dij maiorum umbris tenuem, & si pondere terrans  
Spirantes crocos, & in urna perpetuum ver,  
Qui præceptorem sancti volvere parentis.  
Esse loco &c.

Nam quoad longissimè potest mens mea respicere spaciū præteriti temporis, & pueritiæ memoriã recordari ultimã, hunc video mihi principem & ad suscipiendam & ad ingrediendam rationem horum studiorum extitisse.

Ratio propositi-  
tionis.

Carnades de suo præceptore Chrysippo dicere solitus est: Nisi Chrysippus fuisset, ego profecto non essem.

Nam quoad ) Ratio propositi ionis, quæ est Antecedens Entymematis. Estq; hæc Dialectica sententia: Archias enim meam eloquentiã plurimum iuvit.

Inde )

PRO ARCHIA.

Inde) Scilicet à spacio præteriti temporis & pe-  
nitia memoria vltima.

Ad suscipiendam) id est, Archias fuit mihi  
autor, vt me ad facultatem oratoriam adiungerem,  
& monstrauit mihi rationem procedendi in hac o-  
ratoria facultate.

Quod si hæc vox hu- Epilogus siue con-  
ius hortatu, præceptisq; clusio Exordij.  
confirmata, nonnullis  
aliquando saluti fuit, à quo id accepi-  
mus, quo cæteris opitulari, & alios ser-  
uare possemus, huic profecto ipsi,  
quantum est situm in nobis, & opem  
& salutem ferre debemus.

Quod si hæc vox) Amplificatio à minori,  
cuius hæc est sententia: Multis alijs mea dicendi fa-  
cultas profuit. Ergo multo magis illi, qui eius autor  
fuit, opitulari debet.

Insignis locus, admonens omnes discipulos, vt gra-  
ti sint erga suos præceptores, à quibus in artibus in-  
stituti, & ad omnem honestatem informati fuerunt,  
Sic Scipio amauit præceptorem suum Ennium. C.  
Iulius Cæsar Aristonem Philosophum. Pompeium Cra-  
tippum. Augustus Athenodorum vsq; ad senectutem  
apud se retinuit.

Ac ne quis à nobis hoc Prima occupatio  
ita dici fortè miretur, seu aduersatiua.

B

quod

ORATIO CICERONIS

quod alia quædã in hoc sit facultas in-  
genij, neq; hæc discendi ratio, aut disci-  
plina, nec nos quidẽ huic cuncti studio  
penitus vnquam dediti fuimus.

Etenim omnes artes quæ *Solutio occu-  
ad humanitatem pertinent, patioris.*  
habent quoddam commune vincu-  
lum, & quasi cognatione quadam inter  
se continentur.

Ac ne quis) *Aduersaria prima, qua soluit ob-  
iectionem: Cicero tu es Orator, Archias Poeta,  
Quomodo Orator à Poeta iuuatur.*

Nec nos quidem) *Id est, Nec ego me solum  
omni tempore studio dicendi consecraui.*

Etenim omnes artes) *Solutio obiectionis, q. d.  
Omnes artes humaniores inter se cognatæ sunt, &  
quasi vinculo nexæ coherent, Ergo & oratoria &  
Poetica facultas.*

Ad humanitatem) *Obseruent studiosi nostras  
litteras plurimum facere ad humanitatem, vt rectè  
Ouidius dixit. Artibus ingenuis, quarum tibi copia  
magna est:*

*Artes inter se sunt firmo fœdere iunctæ.*

*Pectora mollescunt asperitasq; fugit. Item:*

— *Didicisse fideliter artes*

*Emollit mores, nec sinit esse feros.*

Sed

PRO ARCHIA.

Sed ne cui vestrum mirū esse videatur, me in quæstione legitima, & in iudicio pub. cum res agatur apud Prætores populi Romani lectissimū virum, & apud seuerissimos iudices, tanto conuentu hominū ac frequentia, hoc vti genere dicendi, quod non modò à consuetudine iudiciorum, verum etiā à forensi sermone abhorreat, quæso à vobis iudices, vt in hac causa mihi detis hanc veniā, vobis quemadmodum spero non molestam, vt me pro summo Poëta, ac eruditissimo homine dicentem, hoc cōcursu hominum literatissimorū, hac vestra humanitate, hoc deniq; Prætores exercente iudiciū, patiamini de studijs humanitatis ac literarū paulò loqui liberius, & in eiusmodi persona, quæ propter ocium ac studium minimè in iudicijs periculisq; tractata est, vti prope nouo quodam & inusitato genere dicendi.

Sed ne cui) *Secunda Aduersatiua: Negotium Archia est generis iudicialis, qui ita à Ci-*

B 2

cerone

*Secunda occa-  
patio sine ad-  
uersatiua.*

*Demosth. In se-  
ueritate iudicis  
sit a est legum  
auctoritas.*

## ORATIO CICERONIS

cerone defendendus erat, quemadmodum à Graccho erat accusatus, sed Cicero postquam breuiter ostendit, Archiam esse ciuem, relicta causa, incipit laudare Poëtam Archiam & studia literarum, quod quidem à causa multum alienum esse videbatur, ita hic per occupationem petit sibi veniam dari.

In quæstione) Id est, in causa, quæ est ex legibus iuxta fori consuetudinem tractanda.

Lectissimum virum) Nam Prætores erant viri integritate & innocentia præstantes, erantq; iuris ciuili custodes, qui præerant vrbi absente Consule cum exercitu.

Seuerissimos iudices) Amplum est Epitheton. Decet enim bonum Magistratum non indulgere aut cedere subditorum delictis. Estq; Seueritas virtus, cuius extrema sunt indulgentia & immanis crudelitas.

A consuetudine iudiciorum) Nam in iudicijs non artium aut Philosophiæ vocabulis vtimur, sed hæc habent suos peculiare terminos.

A forensi sermone) Nam in foro alia est dicendi ratio.

In eiusmodi persona) Quæ persona non est assuefacta ad controuersias forensos.

Schola habet vacationem omnium munerum, & nomen habet ab ocio, In scholis enim ocium habemus ab omnibus domesticis negocijs, vt religionem



## PRO ARCHIA.

gionem & omnes disciplinas vtilis Reipub. discamus, Ovidius.

Carmina secessum scribentis & ocia querunt.  
Item: Sylua placet Musis, vrbs est inimica poetis.

### Dispositio Propositionis,

Quoniam Cicero instituit hic narrationem de vita Archiae, praemittit Propositionem, ne auditores suspensos & futurae actionis ignaros detineat. Iam repetant studiosi ea quae supra in Rhetoricis de propositionis dispositione dicta sunt.

PRIMO, Praecipiunt Rhetores, vt propositio sit breuis & dilucida.

SECUNDO, Vt fiat distributio in paucas partes essentielles seu integrales, non nimis exiles aut multas, ne auditor ipsa multitudine defatigetur.

TERTIO, Vt partes eo ordine explicentur, quo propositae sunt.

Haec praeccepta applicent studiosi ad hanc propositionem.

Primo enim haec propositio est perspicua & breuis.

Secundo, Certas partes proponit. Primo enim inquit: Ostendam Iudices Archiam esse ciuem, Secundo, Perficiam hac mea oratione, vt si non esset ciuis, tamen in ordinem ciuium eum adsciscendum esse.

B

3

Tertio.

## ORATIO CICERONIS

*Tertio, Has duas propositiones ordine explicat.  
& ad eas reliqua omnia, quae in tota oratione ag-  
gentur, referenda sunt.*

### Textus Orationis.

**Q**uod si mihi à vobis tribui conce-  
diq; sentiam, perficiã profectò, vt hunc  
Aulum Licinium non modo nō segre-  
gandum, cum sit ciuis, à numero ciui-  
um, verumetiam si non esset, putetis  
asciscendum fuisse.

*Quod] Videlicet vt me bona pace audiatu, &  
mibi de studijs liberius loqui concedat u.*

### Dispositio Narrationis.

*Sequitur Narratio. Narrationes autem, vt in  
Rhetorica dictum est, ordinem rerum vt gesta sunt,  
sequi debent.*

*Primo, Consilia factorum exponuntur.*

*Secundo, Acta.*

*Tertio, Euentus.*

*Quarto, Euentuum causã recitantur.*

*Est autem præsens Narratio rei factæ eiuq; cau-  
sæ, de qua iudicium futurum est, generalis expositio  
quæ sedem ac fundamentum constituendæ fidei po-  
nit, in quo omnia Argumenta, quæ in confirmatio-  
ne postea copiosius exponuntur, latitant. Nunc ap-  
plicemus hanc narrationem ad præcepta iam dicta.*

## PRO ARCHIA.

In Narrationibus videndum est, de quibus rebus præcipue agatur in sequenti orationis parte, Decernitur autem Archiam esse ciuem, quod vt obtineat Cicero, præmittit Narrationem, cuius membra et si velut in confirmatione non omnino probant hanc propositionem, tamen ad probandum multum conducunt.

Consilium) Vt Archias in maiori autoritate & honore esset apud omnes, non solum didicit recte artes humanitatis, sed etiam se ad scribendi studium contulit,

Acta] Antiochiæ igitur omnibus facile ingenio antecelluit. Postea in Asia & Græcia, magnum honorem sibi acquisiuit. Tarentini, Rhegini & Neapolitani cum ciuitate donare voluerunt. Multis honestis viris, qui in textu nominantur, familiaris fuit.

Euentus] Tandem post multas peregrinationes Heracliæ iure ciuitatis donatus est, seq. in numerum ciuium inscribi impetrauit.

Causa euentus] A Syllano & Carbone lex lata erat, vt ciues Romani essent, qui ex fœderatis ciuitatibus ascripti fuissent, si tum cum lex ferebatur in Italia domicilium habuissent, & si intra sexaginta dies nomina sua apud Prætozem professi essent. Hac lege adductus Græchus quidam, Archiam Poetam in iudicio accusauit, quod in vrbe se pro ciue gereret, cum non esset ciuis.

B 4

Negant

## ORATIO CICERONIS

*Negavit enim Archiam ascriptum esse fœderatis civitatibus, cui contradicit Cicero. Sit autem totius huius partis hic syllogismus :*

*Quicumq; confœderatis civitatibus ascriptus fuerit, & domicilium habuerit in Italia, tum, cum lex ferebatur à Syllano & Carbone, & sexaginta diebus apud Prætores professus fuerit, is est civis Romanus.*

*Atqui Archias confœderatis civitatibus est ascriptus, & habuit domicilium in Italia tum, cum lex ferebatur, & professus est nomen apud Prætores populi Romani.*

*Ergo Archias est civis Romanus.*

*Minor est κρισιμεινος, de qua est dimicatio, & quæ in confirmatione probanda erit, qua probata conclusio sit plana.*

## TEXTVS ORATIONIS EIVSQUE EXPLICATIO.

*Nam vt primum ex pueris excessit Archias, atq; ab his artibus, quibus ætas puerilis ad humanitatẽ informari solet, se ad scribendi studium contulit, primum Antiochiæ ( Nam ibi natus est loco nobili, celebri quondã vrbe et copiosa, atq; eruditissimis hominibus libera-*

*Narratio,*  
*Consiliũ,*  
*Acta.*  
*bera.*

PRO ARCHIA.

beralissimisq; studijs affluentibus) celeriter antecellere omnibus ingenij gloria contigit.

Quibus ætas puerilis) *Intelligit artes liberales, quas dicit Archiam in adolescentia cognouisse.*

Ad humanitatem) *Nam studiosi doctrinarum humaniores sunt quam alij homines, iuxta Poetæ dictum: Scilicet ingenuas didicisse fideliter artes, Emollit mores, nec sinit esse feros.*

Antiochiæ) *Antiochia Metropolis Syriæ, quam Suidas refert à Seleuco conditam, & à filio Antiocho sic dictam. In hac vrbe discipuli Apostolorum doctrinam de Christo amplectentes primus Christiani nominati sunt. Hic celebris schola fuit, cuius lector & auditor procul dubio D. Paulus fuit. Antiochena Synodus damnauit Paulum Samosatenum.*

Ingenij gloria) *Id est, propter eruditionem, quæ sola est ingenij gloria.*

*Obserua accuratissimam docendi & instituendi rationem apud veteres fuisse. Vide Quintilianum.*

Post in cæteris Asiæ parti- *Laus Ar-*  
bus, cunctæq; Græciæ, sic e- *chia.*  
ius aduentus celebrabatur, vt famam  
ingenij expectatio homines, expecta-  
tionem ipsius aduentus admiratioq;  
superaret.

Post in cæteris Asiæ partibus) *Eximia laus*

## ORATIO CICERONIS

Poetae Archiae ab incredibili omnium favore, etiam  
absentium. Est autem huius Periodi hæc sententia;  
Quanquam de Archiae ingenio magna fama erat in  
Asia & Græcia, tamen expectatio eius tanto maior  
erat fama, quantum hanc ad quos veniebat expe-  
ctatus, admiratio eius præsentis vincebat, tanta sci-  
bicit erat in vultu severitas atq; in verbis fides.

Erat tum Italia plena Græcarum ar-  
tium, studiaq; hæc & in Latio vehe-  
mentius tum colebantur, quam nunc  
ijsdem in oppidis, & hic Romæ pro-  
pter tranquillitatem populi Romani  
non negligebantur.

† Pace fecunda recoluntur artes,  
Et vigent vrbes, populiq; leges,  
Omnis & virtus pietasq; vero floret honore.

Considerentur peregrinationes Musarum, quæ  
 tandem ad nos peruenerunt, & sedem sibi in nostra  
Saxonia elegerunt.

Hic vbi rara campis arbor æstiva recreatur umbra,  
Quod latus mundi nebula malumq; Iuppiter vrget.

Itaq; hunc & Tarentini & Rhegini  
& Neapolitani, ciuitate cæterisq; præ-  
mijs donarunt, & omnes qui aliquid  
de ingenijs iudicare poterant, eum co-  
gnitione atq; hospitio dignum existi-  
marunt. Hac tanta celebritate famæ,  
cum

PRO ARCHIA.

cum esset iam absentibus notus, Romam venit Mario Consule & Catulo. Natus est primum Consules eiusmodi, quorum alter res ad scribendum maximas, alter cum res gestas, tum etiam studium atque aures adhibere posset. Statim Luculli cum praetextatus etiam tum Archias esset, eum in domum suam receperunt.

Qui de ingenijs iudicare ] *Id est, omnes qui magnificiebant & amabant doctos viros.*

Natus est ] *Id est, Eius aduentus incidit in tales consules.*

Alter res ad scribendum ] *Id est, posuit ei suppeditare materiam suorum carminum.*

Tum etiam studium ] *Id est, Qui libenter legere & audire carmina Archiae posset,*

Prætexta fuit apud Romanos genus vestimenti oblongum & talare, quod pueri nobilium gestabant. Unde prætextati dicebantur, qui nondum decimum septimum annum præterierant. Prætexta autem à Purpura quæ prætexabatur dicta est, Non fuit tanta leuitas in vestitu, ut nunc est: In curta tunica saltat Saxo quasi pica.

Sed enim hoc non solum ingenij ac litterarum, verum etiam naturæ atque virtutis fuit, ut domus quæ huius adolescentiæ prima + fuit, eadem esset + alij fuerit, familiarissima senectuti, Hoc

ORATIO CICERONIS

Hoc) Scilicet, quod receptus est in familiam  
Lucullorum,

Sed enim hoc non solum) Obseruent stu-  
diosi hunc locum, & cogitent mores ita esse guber-  
mandos, vt bonum nomen apud alios deponamus,  
nec mentes aliorum à nobis abalienemus. Veteres in  
hospitalitatis sanctissime coluerunt, & retinuerunt,  
& fuerunt quasi foedera quaedam inter socios vnius  
mensae, vnde dicitur:

τὴς ἀλας καὶ τὴν τράπεζαν μὴ παραδίειν  
id est, in salem & mensam non est peccandum.

Erat temporibus illis iucundus Me-  
tello, illi Numidico, & eius Pio filio,  
audiebatur à M. Æmilio, vivebat cum  
Q. Catulo, & patre & filio, à L. Crasso  
colebatur.

Numidico) Hoc cognomen fuit Metello, à re-  
gesta in Numidia contra Iugurtam.

De Q. Catulo Val. Maximus sic inquit: Q. Ca-  
tulum populus Romanus voce sua tantum non ad si-  
dera vsq; euexit. Nam cum ab eo pro Rostris inter-  
rogaretur, si in vno Pompeio Magna omnia repone-  
re perseuerasset, assumpto illo subiti casus incurso, in  
quo spem esset habiturus, summo consensu acclama-  
uit: In te, &c.

Lucullus verò) Summi hi in Repub. Ro-  
& Drufos, & manna viri fuerunt, vt his  
Octauios, & Ca. storiæ vbiq; testantur,

tonem



PRO ARCHIA.

tonem, & totam Hortensiorū domum  
deuinctam consuetudine cum teneret,  
afficiebatur summo honore, quod eum  
non solum colebant, qui aliquid percipi  
pere aut audire studebant, verum etiā  
si qui fortè simulabant.

Interim satis longo interual-  
lo, cum esset cum L. Lucullo  
in + Sicilia profectus, & cum  
ex ea prouincia cum eodem  
Lucullo decederet, venit  
Heracleam, quæ cū esset ciui-  
tas æquissimo iure ac foede-  
re, adscribi se in eam ciuitatem voluit,  
idq; cum ipse per se dignus putaretur,  
tum autoritate & gratia Luculli ab He-  
racliensibus impetrauit.

*Per se) id est, Propter excellentem eruditionem  
dignus ciuitate existimatus est.*

Data est ciuitas Syllani lege  
& Carbonis, si qui foederatis  
ciuitatibus adscripti fuissent, si tum, cū  
lex ferebatur in Italia domiciliū habuis-  
sent, & si sexaginta diebus apud Præto-  
rem essent professi, Cum hic domiciliū  
Roma

*Euentus*

*+ alij*

*Ciliciam*

*Magna*

*laus bonæ*

*Reipub.*

*Causa e-*

*uentus,*

*Roma*

ORATIO CICERONIS

Roma multos iam ante  
\* a' j.   
tea annos haberet, pro multos iam ante  
fessus est apud Prætorē nos haberet.

Q. Metellum familiarissimum suum.

Apud Prætozem essent professi } Profiteri  
apud Prætozem, est nomen & censum indicare cor  
tam Prætoze. Talis professio fiebat quinto quoq; an  
no. Id vero apud Prætozem censum agere dicitur.

Exat iucunda narratio de vita, moribus & fine  
Q Metelli in lib. 7. Maximi, quam studiosi domi re  
legant.

Si nihil aliud nisi de ci  
uitate ac lege dicimus, ni  
hil dico amplius, causa  
dicta est. Conclusio Nar  
rationis.

DISPOSITIO CONFIR  
mationis Aut, primæ Orationis partis.

Supra audiuimus in propositione, Ciceronem de  
duabus rebus in hac oratione dicturum. Primo, Ar  
thiam esse ciuem Romanum. Secundo, Si Arthias  
non esset ciuis, tamen eum propter excellentem eru  
ditionem in ciuem esse asciscendum. Hactenus igitur  
Cicero ostendens Arthiam esse ciuem, & confædera  
tis ciuitatibus ascriptum, & domicilium habuisse in  
Italia

## PRO ARCHIA.

Italia, hoc præcipuè Syllogismo in fine Narrationis  
usus est.

Qui ascriptus est fœderatis ciuitatibus & cum  
lex Syllani & Carbonis lata est, domicilium in Ita-  
lia habuit, ac intra sexaginta dies apud Prætorem  
professus est, is est in numero ciuium.

Archias est ascriptus Heracliensi ciuitati, in Ita-  
lia domicilium habuit, apud Prætorem professus  
est.

Ergo Archias est ciuis Romanus.

In hoc syllogismo minor est κριτόμεινον, id est, in-  
digeret probatione. Cum autem hæc controuersia sit  
in statu coniecturali, necessario sequitur, hoc loco o-  
rationis recitandos esse locos confirmationis in statu  
coniecturali, supra traditos.

PRIMO itaq; Cicero ex statu coniecturali  
adfert locum à Testibus, quo firmissime probare co-  
natur, Archiam esse ciuem. Est autem huius argu-  
menti hæc sententia Dialectica. M. Lucullus, Item  
Legati Heraclienses, Item populi ad hoc iudicium  
missi, testantur Archiam esse à Prætore ascriptum.

Ergo verum est.

Hoc argumento infringitur sententia Gracchi,  
qui dixerat, Archiam non esse ascriptum vlli fœde-  
ratarum ciuitatum, nec tempore legis latæ, domici-  
lium in Italia habuisse, nec apud Prætorem profes-  
sum esse.

SECVS.

## ORATIO CICERONIS

SECUNDO. Est & locus in statu coniectu-  
rali de Tabulis, in quas res memoria dignæ referri  
solent. Gracchi Argumentum procul dubio tale fu-  
it: Tabulæ in quas vna cum alijs ciuibus Archias in-  
scriptus fuit, perierunt,

Ergo incertum est an fuerit ciuis,

Respondet Cicero, Autoritas bonorum & inte-  
gerrimorum virorum plus valet quam tabula.

TERTIO. Iusiurandum tabulis præferendum est,  
Nulli igitur dubium esse debet, quin Archias sit  
ciuis.

## TEXTVS ORATIO- NIS EIVSQUE EXPLICATIO.

Quid enim horū in-  
firmari Gracche po-  
test? Heracleæ, ne esse  
eum ascriptū nega-  
bis? Adest vir summa  
autoritate et religio-  
ne & fide L. Lucullus, qui  
se non opinari, sed scire, non audiuisse,  
sed vidisse, nō interfuisse, sed egisse dicit  
Ad sūt Heraclienses legati, homines no-  
bilissimi, \* huius iudi-  
cij causa cū mādatis &

Confirmatio.  
Prima pars minoris  
propositionis.  
Confirmatio à testib.  
I.

II.

\* al. qui huius iud-  
icij causa.

cum

PRO ARCHIA.

cum mandatis & cum publico testimonio venerunt, qui \* hunc \* al. eum. ascriptum Heractien em dicunt Hic tu tabulas desideras Heractiensium publicas, quas Italico bello, incendio tabulatio interisse scimus omnes.

Obiecto Gracchi de tabulis.

[Adell vir summ. autoritate] Confirmatio propositiois ex loco status coniecturalis à testibus. Testatur enim hoc L. Luullus vir summa fide & religione. Deinde testantur idem legati Heractienses, cum publica autoritate senatus Heractiensis, & populi ad hoc iudicium missi.

L. Lucullus] De hoc L. Lucullo diximus in oratione pro lege Manilia. Fuit vir clarissimus, qui res præclaras gessit. Cum esset Prætor, Africam modestissime rexit, & Mitridati se fortissime opposuit.

Opinari] Scilicet Archiam esse civem. Nam opinio est infirmus assensus, sed scire id est, habere causas, unde sciat Archiam esse civem.

Hic tu tabulas desideras] Obiectio. Gracchus enim dicere & subijcere poterat: Licet testibus probes Cicero, Archiam esse ascriptum, tamen nullis tabulis ostendere poteris, hoc esse verum.

Italico bello] De hoc bello vide L. Florum.

C

Est

## ORATIO CICERONIS

Est ridiculum ad ea quæ habemus nihil dicere, quærere quæ habere non possumus, & de hominū memoria tacere, literarū memoriam flagitare. Et cum habeas amplissimi viri religionem, integerrimi municipij iusiurandum, fidemq; ea quæ depravari nullo modo possunt repudiare, tabulas, quas idem dicis solere corrumpi, desiderare.

*Solutio obiectionis.*

*Collatio fidei & tabularum.*

Est ridiculum ) *Confutatio obiectionis, in qua facit collationem fidei & Tabularum. Estq; hæc sententia Ciceronis: Perierunt quidem Tabulæ incenso Tabulario Heracliensi, sed pro his testes adsunt integerrimi, Lucullus & Legati Heracliensis, quorum autoritas cum maior sit quam Tabularum, non deceat hos tantos viros repudiare.*

Municipij ) *Municipia dicuntur civitates, quæ cum Romanis civilia munera capiunt.*

At domicilium Romæ non habuit is, qui tot annis ante civitatem datam sedem omnium rerum ac fortunarum suarum Romæ collocavit.

*Negatione hanc obiectionem Cicero soluit.*

At domicilium ) *Alia obiectio, quam Cicero simpliciter negando refellit.*

*Sedem*

PRO ARCHIA.

Sedem omnium rerum ) id est, Constituit  
vivere & mori Romæ, eumq; sibi locum legit, ubi vi-  
tam exigeret.

At non est professus. *Tertia pars mi-  
noris propositio-  
nis.*  
Imo verò his tabulis,  
quæ solæ ex illa professi-  
one collegioq; Prætorum obtinent pu-  
blicarum tabularum auctoritatem.

At non est professus ) *Tertia pars minoris cu-  
ius hæc est sententia: Archias tabulis Metelli Prætoris,  
quarum auctoritas est potissima, professus est.*

Quæ solæ ) *Qua tabule fide omnium dignissi-  
mæ fuerunt.*

Nam cum Appij tabu- *Solutio obiectionis de tabulis Ap-  
prij & Gabinij.*  
læ negligētius adserva-  
te dicerentur, Gabinijq;  
quam diu incolumis fuit levitas, post  
damnationem calamitas omnē tabula-  
rum fidem resignasset, Metellus homo  
sanctissimus modestissimq; omniū,  
tanta diligētia fuit, ut ad L. Lentulum  
Prætorem, & ad iudices venerit, & u-  
nius nominis litura se commotum esse  
dixerit. His igitur tabulis nullam litu-  
ram in nomen A. Licinij videtis.

Nam cum Appij ) *Solvit obiectionem de tabulis  
Apprij & Gabinij Prætorum.*

C 2

Neglig

ORATIO CICERONIS.

Negligentius observatae] *et ideo multi clam irrepserunt, id est, nomina sua furim inscripserunt.*

Resignasset] *id est, Evulgasset & sustulisset fidem nec ijs tabulis ulla fides haberetur.*

Quæ cum ita sint, quid est quod de eius civitate dubitetis, præsertim cum alijs in civitatibus fuerit adscriptus? Conclusio.

Quæ cum ita sint] *Conclusio eorum Argumentorum, quæ hæcenus recitavit.*

Etenim cum mediocribus multis & aut nulla aut humili aliqua arte præditis, gravitò civitatem in Græcia homines impertiebantur, Rheginos credo, aut Locrenses, aut Neapolitanos, aut Tarentinos, quod Scenicis artificibus largiri solebant, id huic summa ingenij gloria prædico noluisse? Amplificatio à minore ad maius.

Etenim cum mediocribus] *A minori ad maius, cuius argumenti hæc est Dialectica sententia: Rhegini, Tarentini, Locrenses, Neapolitani sapè donarunt civitate homines mediocres, etiam histriones.*

Ergo sequitur promp. is] *mè hoc beneficium contulisse in Archiam ingenio & eruditione præstantem virum.* Sceniorum



FRO ARCHIA.

Scenicis) id est, Histrionibus, hominibus vilibus,  
& abiectis. Spielleute.

Quid? cum cæteri non modo post ciuitatem da-  
tam, sed etiã post legem Papiam, aliquo modo in  
eorum municipiorum tabulas irrepse-  
runt? Hic qui nec vitur quidem illis,  
in quibus est scriptus, quod semper se  
Heraclientem ciuem esse voluit, rei-  
cietur?

*Amplificatio su-  
perioris argumē-  
ti addita ratio-  
ne.*

Quid? cum cæteri) Amplificat hoc argumen-  
tum, addita ratione, curis hic est sensus: Multi alij  
postquam astute in tabulas Reginorum & aliorum  
irrepserunt, vt ciues sint hoc vehementer delectan-  
tur. Archias vero horum ciuitatibus, in quibus scri-  
ptus est, omnino nihil vitur, quia videri vult ciuis  
Heraclientis.

Irrepserunt) id est, In eorum tabulis nomina  
sua furum inscripserunt, aut inscribenda curaue-  
runt.

Post legem Papiam) Lex Papiæ vrbis vsu  
peregrinos prohibebat, & iussit vrbe excedere om-  
nes eos, qui non erant ciues Romani, de qua lege Ci-  
cero lib. 3. Off: Male, inquit, qui peregrinos vrbibus  
viti prohibent eosq; exterminant, vt Petronius apud  
patres nostros facit. Papius nuper, Nã vrbis vsu pro-  
hibere peregrinos sane inhumanum est. Obseruet

## ORATIO CICERONIS

studiosi humanissimam orationem, qua Nausica apud  
Homerum ait :

*A Iove nam simplex pauper procedit & hospes,  
Huic quodcumq; datur, praeclara est muneris instar  
Sit licet exiguum, tamen est praebere decorum.*

Municipiorum ) In Romana historia varia  
leguntur discrimina hominum, qui sub imperio Ro-  
mano Ciceronis & Livij temporibus fuerunt.

- I. Erant Romae nati cives intra urbem.
- II. Cives in suburbio.
- III. Cives in Romano agro vel territorio nati.
- III I. Coloni.
- V. Municipipes.
- VI. Socij donati Romana civitate.
- VII. Libertini Romani.
- VIII. Latini vel Italici populj.
- IX. Coloni Latini.
- X. Italici iuris populj.
- XI. Coloni Tributarij.
- XI I. Hospites publici populi Romani.
- XIII. Amici foedere sociati aequo.
- XIII I. Amici foedere impari sociati &c.

### Dispositio sequentis periodi.

Haecenus Cicero probavit Archiam ascriptum esse,  
deinde domicilium habuisse in Italia. Hic pergit osten-  
dere Archiam a censoribus pro cive iudicatum fuisse.  
Fuit autem Graechi haec obiectio:

Archias

## PRO ARCHIA.

*Archias nunquam census est,*

*Ergo non est civis Romanus.*

*Cicero respondet: Gracche, ego nego consequentiam, & hanc consequentiam confutat hoc modo: Esi enim Archias nunquam census est, (quod ex eo accidit, quia vel Roma absuerit, quando populus Romanus censebatur, vel eo praesente censendi ratio omnino neglecta est) nequaquam tamen sequitur, eum non esse civem. Et addit Cicero rationem: Census enim non facit neque confirmat civem, sed tantummodo indicat eum qui sit census.*

## TEXTUS ORATIONIS EIVSQUE EXPLICATIO.

**Census nostros requiris scilicet. Est enim obscurum proximis censoribus, hunc cum clarissimo Imperatore L.**

*Obiectio Gracchi  
Ironica responsio,  
qua Cicero obiectio-  
nem Gracchi  
dicit.*

**Lucullo, apud exercitum fuisse in Asia, primis Iulio & Crasso, nullam populi partem esse censam.**

**Census]** *Census est annuus reditus & quicquid fortunarum quis habet. Hoc vero loco census est aestimatio rerum & bonorum, secundum quam tributa pendebantur. Solebant enim Censores quinto quoque anno cives Romanos censere.*

**C** 4

**Proxi.**

ORATIO CICERONIS

Proximis) *Id est nouissimis, qui proxime populum Romanum censuerunt.*

Posterioribus) *Scilicet Censoribus qui ante proximos fuerunt.*

Primis) *Scil. Censoribus, qui fuerunt primi Censores post datam Archiae ciuitatem.*

Sed quoniā census nō *Alia responsio, qua ius ciuitatis confirmat, Cicero Gracchum ac tantummodo indi-* refutat.

cat eū qui sit census, ita se iam tum gefisse pro ciue his tēporibus, quæ tu criminatis, nec ipsius quidem iudicio in ciuiū Romanorum iure esse versatum.

Et testamentum sæpè *Tribus signis Grac-* fecit nostris legibus, *chum refutat.*

& adijt hæreditates ciuiū Romanorū, & in beneficijs ad ærarium delatus est, à L. Lucullo Prætore & Consule.

Sed quoniam census) *Alia confutatio sententiæ aduersarij. Dixerat enim Archias, ipsum confessum esse, quod inter ciues non sit versatus. Igitur ciuem non esse. Id confutat Cicero tribus signis. I. Quod testamentum fecerit. II. Quod hæreditates adierit. III. Quod in beneficijs ad ærarium delatus sit.*

Gessisse pro ciue) *Gerere se pro ciue dicitur is, qui iure ciuitatis utitur, siue sit ciuis, siue non sit ciuis.*

Adijt

PRO ARCHIA.

Adijt hæreditates ) Licebat enim quemuis, siue propinquum, siue alienum, modo ciuis esset, hæredem facere.

Et in beneficijs ) In beneficijs ad ærarium relati dicuntur ij. qui ciues Romani ex ærario publico beneficium aliquod accipiunt, propterea quod in bello rem fortiter gesserunt. Ostendit igitur Cicero Archiam de Republica bene meritum fuisse.

Quære argumenta si Conclusio huius qua potes. Nunquam e primæ partis omnim hic neq; suo, neq; a. rationis.

micorum iudicio reuincetur. Virg. Contrahere quicquid siue animis, siue arte vales.

Quære argumenta ) Conclusio primæ orationis partis, in qua vrget adversarium, & oblique mendacij arguit, cum videt se firmam et bonam causam habere.

Nunquam enim hic ) Id est, Etiam si quæres argumenta qualiacunq; velis, nunquam tamen his officies, vt Archias ac amici eius sentiant à te satis ostensum esse, Poetam non esse ciuem.

Absoluimus primam huius Orationis partem. An tequam verò ad secundam partem accedamus summam primæ partis breuiter repetemus,

Huius partis primæ hic principalis fuit Syllogismus.

Omnes inscripti in socijs ciuitatibus sunt ciues,

C S Archias

## ORATIO CICERONIS.

*Archias est inscriptus, Ergo Archias est civis*

*Maior propositio est manifesta, Minor verò est incerta, Quare probationibus indiget.*

*Hæc probationes sumit Cicero ex statu coniecturali, videlicet à Testibus & Tabulis, quod sit Heracleæ, ascriptus, & quod sit professus.*

*Postea ad lit verisimile ex minori ad maius:*

*Multi leviorum artium periti ascripti sunt in socijs civitatibus.*

*Ergo verisimile est & hunc Archiam ascriptum esse.*

*Postremo signa Romani civis addit: 1. Adijs hereditates. 2. Testamentum fecit. 3. In beneficijs ad ærarium delatus est, quæ omnia in civem Romanum cadunt.*

*Cum autem causa per se fuerit tenuis & exigua, reddit eam in secunda orationis parte, quæ iam sequitur, splendidiorẽ & illustriorem, addito loco communi de laude literarum. Atq; ita Cicero transfert orationem ab Hypothesi ad Thesin, id est, ad locum communem, scilicet: Omnes studiosi sunt colendi & magnificandi.*

## SEQVITUR SECUNDA ORATIONIS pars, cuius narratio.

Dispositio sequentis membri.

Ueserna

## PRO ARCHIA.

**H**esternae lectione inter caetera brevem *ἀνακρί-  
σεως* *ῥαλαίωσις* recitavi earum rerum, quae in pri-  
ma huius orationis parte à nobis tractatae sunt. Vti-  
lissimum enim est in omni studiorum genere summam  
rei seu capita materiarum animo concipere.

Nunc, ut dixi, sequitur secundae orationis pars,  
quae est generis demonstratiua. Laudat enim & com-  
mendat in genere Cicero optimarum artium & praeci-  
pue poëticae studium, quae est, ut Erasmus alibi  
inquit, placenta delicijs condita ex omni disciplinarum  
genere. Verum Cicero antequam ad secundae oratio-  
nis partem perveniat, praemittit brevem narrationem  
quasi exordium huius secundae partis, quo rationem  
reddit, cur Archiam magnificat.

Est autem huius sequentis Paragraphi seu Periodi  
haec Dialectica sententia.

Archiam magnificatio. Ratio, Quia eius studia  
profunt mihi, primo ad delectationem, secundo, ad  
utilitatem in hac forensi facultate dicendi.

## TEXTVS ORATIONIS eiusq; explicatio.

Quæres à nobis Gracche, Obiectio Grae-  
cur tantopere hoc homine chi.  
delectemur? Quia suppe- Solutio obiecti-  
ditat nobis, ubi & animus o. u.

ex hoc

ORATIO CICERONIS

ex hoc forensi strepitu reficiatur, & aures conuicio defessæ conquiescant. II. An tu existimas aut suppetere nobis posse, quod quotidie dicamus, in tanta varietate rerum, nisi animos nostros doctrina excolamus? aut ferre animos tantam posse contentionem, nisi eos doctrina eadem relaxemus?

*Antu existimas) In historiarum lectione manifestum est, magnos viros Poëtarum & aliorum eruditorum hominum scriptis delectatos fuisse. Laudatur Scipio Africanus, qui semper in manibus habuit libros Xenophontis de disciplina Cyri.*

*Laudatur etiam Agesilauus, optimus & sapientissimus Spartanorum rex, qui nunquam cubitum ire, nunquam cum è lecto surrexisset prodire, aut aliquid agere solebat, quin prius aliquid in Homericæ Poemate legeret, et quoties à negotiis vacuum tempus dabatur statim ad Homerum properabat, affirmans se ad Amasium suum ire. Sic Alexander Magnus Homeri opus tutissimum belli viaticum appellabat. Sic Hadrianus Imperator Poëtices studiosissimus fuisse dicitur.*

*Philip. Melanth.*

*Si decus Ausoniæ linguæ retinere studetis.*

*Si vultis recte verba Latina loqui,*

**CURA**



## PRO ARCHIA.

*Cura sit à teneris vatum cognoscere scripta,  
Eloquij fontes hoc sciat esse puer.*

### Dispositio sequens Paragraphi.

*Cum in proximo membro superiori lectione ex-  
posito Cicero dixerit, se magnopere personæ Archias  
delectari, Pergit hic ad locum communem, trans-  
ferens Hypothesin ad Thesin, quod quomodo fiat, &  
in Dialectica & Rhetorica à nobis dictum est. Memi-  
nerunt iuniores Ciceronem in propositione duo mem-  
bra proposuisse. Primum enim dixit, se probaturum,  
Archiam etiamsi non sit civis, tamen propter doctri-  
nam in urbem asciscendum esse, id iam hac secunda  
orationis parte probat, cuius principalis sit Syllo-  
gismus.*

*Literæ & maxime Poëticae ob insignem utili-  
tatem & suavitatem amandæ, fovendæ, & in alijs,  
si ipsi eas non gustavimus, admirandæ sunt.*

*Archias his literis ornatissimus est:*

*Ergo Archias iure amandus est, & in urbem  
cum non esset civis, ut sit, asciscendus.*

*Maiorem Cicero quatuor Argumentis probat, ut  
ordino in textu audiemus.*

## TEXTUS ORATIONIS EIVSQVE EXPLICATIO.

*Ego verò fateor me his studijs Occu-  
pato esse deditum, ceteros pudeat, si *patio*,  
qui se ita literis abdiderunt, ut nihil posse  
sint*

ORATIO CICERONIS.

sint ex his, neq; ad communem afferre fructum, neq; in aspectū lucemq; proferre. Me autem quid pudeat? qui tot annos ita vivo, iudices, ut ab illis nullo me unquam tempore, aut commodum aut ocium meum abstraxerit, aut voluptas avocarit, aut deniq; somnus retardarit.

Ego vero fateor) *Propositio secunda partis huius orationis cuius hæc est Dialectica sententia. Ego dedius sum studijs literarum. Hanc nudam propositionem Cicero amplissimis verbis mirificè illustrat & exornat. Et habes hic in fine exemplum discriminis inter Dialecticam & Rhetoricam. Finis studiorum est, ut alijs profimus.*

Me his studiis) *Cicero callidè in sua persona hæc effert, ne Archiam nimis laudare videatur.*

Si qui ita literis se abdiderunt) *Mihi videtur commodius legi posse, ita se à literis abdiderunt, id est, removerunt, quæ lectis coherere magis mihi videtur cum eis, quæ Cicero postea dicit.*

Auc commodum &c. *Hic locus Ciceronis diligenter observandus est omnibus illis, qui in doctrinarum studijs feliciter progredi, & cum laude versari cupiunt. Primò dicit Cicero, se nullo commodo à studijs abstractum fuisse. Multi enim studia abijciunt, quia vident se inde parum commodi haurire. Quare propter pugillum lucri ad quæstuosiores artes se conferunt.*

S E 3

## PRO ARCHIA

SECUNDO, se nec otio à studijs abstractum.

Nam verum est quod Ovidius inquit:

Cernis ut ignavum corrumpant otia corpus,

Ut capiant vitium, ni moveantur, aquæ.

Et Plutarchus: Ingenium hominis ceterum ceu in otio contrahit.

TERTIO. Addit se nunquam voluptate à studijs avocatum. Nam ut Cicero alicubi inquit: In voluptatis regno non potest virtus consistere. Et lib. 2. de finibus: Nemo est dignus nomine hominis, qui unum diem totum velit esse in voluptate. Idem ad Atticum: Maximas virtutes iacere oportet voluptate dominante. Quare ut Socrates apud Platonem inquit: Voluptates oportet tanquam Syrenes effugere eum quò virtuem, tanquam patriam, intueri desiderat.

QUARTO. Neq; somno se à studijs retractum esse dicit. Nam dormiendo & disidendo nemo est gloriam consecutus. Et pulchrè Euripides inquit: Nullus ignavus in celebrem virum evadit. Et Salust. Ignavia nemo immortalis factus est. Hæc quatuor remoramur nostros scholasticos, quo minus emergant in magnos viros.

Quare quis tandem me reprehendat, aut quis mihi iure succenseat, si quantum cæteris ad suas res obeundas, quantum ad festos dies ludorum celebrandos, quantum ad alias voluptates, & ad ipsam requiem animi &

ORATIO CICERONIS.

mi & corporis conceditur temporum quantum alij tribuunt tempestivis cōvivijis quantum deniq; alexæ, quantum pilæ, tantum mihi egomet ad hæc studia recolenda sumpsero.

Quare quis] Et hoc membrum dignum est memoria, ut commonescant iuniores, in studijs omnes illecebras & voluptates longè fugiendas esse. Vidimus enim ex hoc loco multos labore, studio & exercitatione in præstantissimos viros evasisse, & in arcem cuiusque doctrinæ omniumq; disciplinarum culmina pervenisse. Nam rectè ab Epicharmo dictum est: Laboribus vendunt nobis omnia bona dñj. Cui ad stipulatur illud Sophoclis: Nihil unquam summorum rerum quis sine labore consequitur, & eos laborare necesse est, qui feliciter vivere cupiunt. Et rectè Plato: Maxima, inquit, sine labore consequi proprium divinitatis est bonum, apud nos non solum virtutes, sed cætera quoq; præclara quæruntur sudore. Et nota est vobis D. Hieronymi sententia: Literæ marsupium non sequuntur, sudoris comites sunt & laboris, sociæ ieiuniorum non sativritatis, continentia non luxuriæ.

Hic locus admonet me de sententia Ciceronis, quæ est in Oratione pro M. Cælio: Atque scitote Iudices, eas cupiditates quæ obijciuntur Cælio, atq; hæc studia, de quibus disputo, non facile in eodem

## PRO ARCHIA.

eodem homine esse posse. Fieri enim non potest, ut animus libidine deditus, amore, desiderio, cupiditate saepe nimia copia, inopia etiam nonnunquam impeditus, hoc, quicquid est, quod nos facimus in dicendo, non modo agendo, verum etiam cogitando possit sustinere. An vos aliam causam esse ullam putatis, cur in tantis praemijs eloquentiae, tanta voluptate dicendi, tanta laude, tanta gloria, tanto honore, tam sint pauci semperque fuerint, qui in hoc labore versentur? Omittenda sunt omnes voluptates, relinquenda studia delectationis: ludus, iocus, convivium, sermo etiam pene omnium familiarium deserendus &c.

SEQVVTUR III. ARGUMENTA, QVIBVS CICERO maiorem propositionem in hac secunda Orationis parte probat.

Horum Argumentorum haec est Dialectica dispositio.

Superiori Lectione secundam Orationis partem syllogismo Dialectico complexi sumus, hoc videlicet:

Literae & maxime poeticae ob insignem utilitatem

## ORATIO CICERONIS

litatem & suauitatem amanda & fouenda, atque  
in alijs si ipsi eas non gustauimus admiranda sunt.

Archias literis & studijs est ornatissimus,

Ergo iure amandus est.

Hoc autem in loco incipit Cicero probare maiorem quatuor argumentis.

I. Illa studia amanda & fouenda sunt, ex quibus comparatur facultas dicendi.

Ex Poësi petitur facultas dicendi.

Ergo Poësis est amanda & fouenda.

II. Honestas per sese est expetenda.

Studia excitant ad honestatem & laudem.

Ergo studia sunt expetenda.

III. Ea quæ profunt non solum ad honestatem, verumetiam quæ regunt mores & publicas actiones sunt amanda.

Libri & exempla scripta non solum profunt nobis ad honestatem, verumetiam regunt mores & publicas actiones.

Ergo libri & exempla scripta magni sunt facienda.

IIII. Ea quæ adferunt suauitatem & delectationem sunt colenda.

Studia literarum non solum profunt, verumetiam eorum est magna suauitas & delectatio.

Ergo hæc studia sunt colenda.

TEX-

PRO ARCHIA.

TEXTVS ORATIONIS.

EIVSQVE EXPLICATIO.

Atq; hoc<sup>†</sup> ideo con- *Primum argu-*  
cedendum est mihi, quod *mentum*  
ex his studijs hæc quoq; *† al. a deo.*  
\* crescit oratio & facul- *\* al. cōsetur.*  
tas, quæ quantacunq; in  
me est, nunquam amicorum periculis  
defuit. Quæ si cui leuior videtur, illa  
quidem certè, quæ summa sunt ex quo  
fonte hauriam sentio.

Nam nisi multorum *Secundum Ar-*  
præceptis, multisq; lite- *gumentum.*  
ris mihi ab adolescentia suasissè, nihil  
esse in vita magnoperè expetendum,  
nisi laudem & honestatem, in ea autè  
persequenda, omnes cruciatus cor-  
poris, omnia pericula mortis atque  
exilij parui esse ducenda, nunquam  
me pro salute vestra in tot ac tantas di-  
micationes, atq; in hos profligatorum  
hominum quotidianos impetus obie-  
cissèm.

Hoc ] *scilicet quod in studijs versatus sum, &*  
*ea magnifacio.*

Profligatorum ] *scilicet Catilinariorum.*

D 2 Ex hoc

## ORATIO CICERONIS

Ex hoc loco apparet Ciceronem gloriæ studiosissimum fuisse, & sanè quo quis generosior est, eò etiam laudis & gloriæ est studiosior. Hinc reuocent iuniores in memoriam dictum Ciceronem, quod in oratione pro M. Marcello habuimus, sic enim inquit: Non vita hæc dicenda est, quæ spiritu & corpore continetur, illa inquam illa est vita, quæ viget memoria seculorum omnium, quam posteritas alit, quam ipsa æternitas semper intuetur. Idem lib. 3. de finibus: Est hominis ingenui & liberaliter educati velle bene audire à parentibus, à propinquis, à bonis etiam viris, & futuræ post mortem famæ etiam detractò sensu consulendum est. Ut autem studiosi hoc Argumentum rectius intelligant, sciant Valerium Maximum testari, Ciceronem gloriæ cupidissimum fuisse. Longa enim Epistola à L. Luceio ciue Romano enixè petijt, vt Cantilinarie coniurationis historiam seorsim ab alijs rebus ad propagandam nominis sui famam scribere vellet, neque abstinuit illud quoque deposcere, vt in ea etiam aliquid amicitie daret, ipsosq; viuente eam ederet, vt viuens gloria sua perfrui posset.

Euripid: Est certe maximum & longe maius malum, quam vt oratione describi possit patriis amissis laribusq; vagari.

### Dispositio tertij Argumenti.

Sequitur



## PRO ARCHIA.

Sequitur tertium Argumentum, quo probat studia literarum esse colenda. Hæc enim gubernant mores, & consilia gubernandæ Reipub. adiuuant. Et addit Cicero rationem, quia literæ continent rationem bene viuendi. Postea addit obiectionem: Num igitur nulli sunt magni viri sine eruditione. Primum Cicero respondet per Concessionem, quod multi viri magni sine doctrina fuerint. Et addit rationem, quia magna naturæ vis est. Deinde subiicit correctionem: multum tamen conducit doctrina, & perfectum quiddam existit, cum ad bonam naturam accesserit doctrina. Hoc postea probat exemplis Scipionis Africani. C. Lælij, L. Furij, Catonis Senioris. Et profecto verum est, cum in paranda virtute concurrunt doctrina, disciplina, & bona natura, tum singulare quiddam existere solet. Hinc Aristides interrogatus, quomodo virtutem consecutus esset? Respondit: Præcipua causa est natura, & ego naturam studiose adiuui.

## TEXTVS ORATIONIS EIVSQVE EXPLICATIO.

Sed pleni omnes sunt libri, plenæ sapientum voces, plena exemplorum vetustas, quæ iacerent in tenebris omnia

Tertium Argumentum.

ORATIO CICERONIS

nisi litterarū lumen accenderet. Quam  
multas nobis imagines non solū ad in-  
tuendum, verum etiam ad imitandum  
fortissimorum virorum expressas, scri-  
ptores & Græci & Latini reliquerunt?  
Quas ego mihi semper in administran-  
da Republica proponens, animum &  
mentem meā, ipsa cogitatione excel-  
lentium hominum confirmabam,

*Vt sunt Homerus, Thucydides, Herodotus, Plu-  
tarchus, Liuius & alij multi.*

*Non solum intueri excellentium virorum exem-  
pla debemus, sed etiam imitari pro nostra facultate  
& vocatione.*

*Duæ res præcipue omnia hominum sanorum con-  
silia, & actiones in Repub. & vita priuata regunt,  
videlicet, doctrina, seu præcepta in Philosophia &  
legibus honestis proposita. Deinde exempla consilio-  
rum & euentuum ac pœnarum, quæ fere conspectio-  
ra sunt, & efficacias animos rudium mouent, quam  
præcepta.*

Quæret quispiam, quid? illi *Obiectio.*  
ipsi summi viri, quorū virtutes  
litteris proditæ sunt, ista ne doctrina,  
quā tu laudibus effers, eruditi fuerunt?

Quæret quispiam ] *Hic locus obseruatione  
dignus est. Nam ingens naturæ vis est, eadem  
vero*

PRO ARCHIA:

vero, quorum hic Cicero meminisse, disputantur in tertio libro de Finibus, ubi Cicero affirmat, multos sine doctrina naturam ipsam secutos, multa laudabilia fecisse. Et ibidem: Sæpius ad laudem atq; gloriam natura sine doctrina quam doctrina sine natura valuit. Idem Cicero lib. 2. de natura Deorum: Meliora sunt ea quæ natura quam quæ arte perfecta sunt. Monendi igitur sunt iuniores, ut quisq; suæ naturæ vim examinet, & videat ad quod doctrinæ genus natura proclivior, & pronior sit. Quare & Cicero lib. 3. de Oratore recte monens inquit. Diligentissime hoc eis qui instituunt atq; erudiunt alios, videndum est, quo sua quemq; natura maxime fere videatur.

Quæret quispiam quid? Scilicet ai, videlicet stuuijs formari mores & adiuuari administrationem Reipublicæ.

Difficile est hoc de omnibus confirmare, sed tamen est certū quid respondeam: Ego multos homines excellēti animo & virtute fuisse, & sine doctrina naturæ ipsius propè habitu diuino per seiplos & moderatos & graues extitisse fateor. Concessio.  
Ratio, Quia magna est naturæ vis.

Etiam illud adiungo: sæpius ad laudem atq; virtutem, naturā sine doctrina, quam sine natura valuisse doctrinā.

D 4

Atq; 3

ORATIO CICERONIS

Atq; idem ego contendo, cum ad naturam eximiam atque illustrem accesserit ratio quædam confirmatioq; doctrinæ, tum illud nescio quid præclarū ac singulare solere existere.

Cum ad naturam eximiam atq; illustrem accesserit ratio quædam ) Erudite Cicero addit ad illustrem naturam accedere debere rationem & confirmationem, opus enim est in amplissimo studiorum pelago certa ratione, id est, institutione & confirmatione & assidua exercitatione, Alias enim nature bonitas, et diuinitus indita *δύναμις* plerūq; corrumpitur, Vt idem Cicero lib. 3. Tusculanarum Questionum conqueritur, vbi inquit: Sunt ingenijs nostris semina innata virtutum, quæ si adolescere liceret, ipsa nos ad beatam vitam natura perduceret nunc autem simul ac editi in lucē & suscepti sumus in omni continuo prauitate versamur, pene cum lacte nutricis errorem suxisse videamur. Cum vero parentibus redditi, id est, magistris traditi sumus, tum ita varijs imbuimur erroribus, vt vanitati veritas & opinioni confirmata ipsa natura sedet.

Ex hoc esse hunc numero. *Exemplum,*  
ro, quem patres nostri viderunt diuinum hominem Africanum

Ex

PRO ARCHIA.

Ex hoc C. Lælium, A. Furium, modestissimos homines & cōtinentissimos ex hoc fortissimum virum, & illis temporibus doctissimum Catonem illum senem, qui profecto si nihil ad percipiendam colendamq; virtutem literis adiuuarentur, nunquam se ad earum studium contulissent.

Ex hoc esse ] *Exemplis ostendit multos ad bonam naturam culturam artium adieciisse.*

Africanum ] *De huius Africani eloquentia, Cicero in lib. 1. de Officijs sic inquit. Quidem ad eas laudes, quas à patribus acceperunt, etiam suas addunt, ut hic Africanus eloquentia cumulavit bellicam gloriam.*

C. Lælium ] *De hoc Lælio vide Ciceronem in libello de senectute.*

L. Furium ] *L. Furius ut idem Cicero in lib. claris oratoribus inquit: Perbene latine loqui putabatur, literariusq; quam ceteri.*

Catonem illum senem ] *Cicero in libro de claris oratoribus de hoc Catone inquit: Quis illo grauior in laudando, acerbior in vituperando, in sententijs argutior, in docendo differendoq; subtilior.*

Quod si non hic tantus fructus ostenderetur, & si ex studijs delectatio sola

Quartum Argumentum

D 5

pete.

ORATIO CICERONIS

peteretur, tamen ut opia + al. animad-  
nor hanc + animi remis. uersionem.  
sionem humanissimam atq; liberalis-  
simam iudicaretis.

Quod si non hic ] *Quartum Argumentum,*  
*studia literarum non solum profunt, verum etiam*  
*eorum est magna suauitas & delectatio. Hoc argu-*  
*mentum amplificat per collationem: Nullæ aliæ volu-*  
*ptates perinde sunt perpetuæ, ac est illa voluptas*  
*quæ ex studijs petitur: Quia studia literarum ideo*  
*iucundiora sunt cæteris studijs: Quia illa sunt*  
*omnium ætatum, temporum & locorum. Volu-*  
*ptates vero non itidem.*

Nam cæteræ res, neq; *Amplificatio quart-*  
temporum sunt, neq; *ti argumenti per*  
ætatum omnium neq; *collationem.*  
locorum. Hæc studia  
adolescentiam \* agunt, *\* al. alunt.*  
senectutem oblectant, secundas res or-  
nant, aduersis perfugium ac solatium  
præbent, delectant domi, non impe-  
diunt foris, pernoctant nobiscum, pe-  
regrinantur, rusticantur.

Hæc studia adolescentiam agunt &c. ]  
*Artes & studia omni ætati profunt, eamq; iuuant,*  
*& delectant, ideoq; doctrina & eruditio corona se-*  
*rum à Salomone dicitur.*

II. Stu-

PRO ARCHIA.

II. *Studia aduersis rebus solatium præbent. Id verum esse docet historia Alexandri. Nam cum is Thebas diriperet, Pindari Poëtæ ædibus ac familijs parci iussit, id quod & antea Lacedæmonios fecisse legimus, propter hanc in ipsius Poëtæ domo factam inscriptionem. Πῦρ ἀπὸ τοῦ ποίητός τινος καὶ αἰγῶν μὴ καίεται, id est, Pindari Poëtæ tectum ne cremate. Unde hos versus studiosi obseruent:*

*Magnus Alexander Thebana victor in vrbe,  
Omnia cum miles perderet igne ferus.  
Parcite Pindaricis, Rex inquit, parcite tectis,  
Non hæc vel violet flamma, vel vlla manus.  
Sola domus maneat diuini salua Poëtæ,  
Cætera quantumuis splendida, tecta cadant.*

*Sic vt Plutarchus scribit, cum classis Attica à Syracusanis oppressa esset, multi ob Euripidem Poëtam saluati sunt. Eius enim Poëtæ versus præ cæteris Syculi admirabantur, & si quos à captiuis Atheniensibus habere poterant, perdiscebant, vnde captiuorum multi liberari Athenas reuerentes Euripidem adhuc viuentem salutatum ibant, asserentes, se eius versibus esse seruatos. Alij quidam cum illius versus Domino suos discentes, docuissent, ab eis præmiij loco manumissionem acceperunt. Plurimi post prælium per ciuitates dispersi ac vagi victum sibi horum versuum recitatione comparabant,*

III. Di-

## ORATIO CICERONIS

¶ I. Dicit studia esse omnium locorum, Inde illud Neronis dictum enatum est: Quælibet terra alia artem. Et obseruent iuniores Persii versus de nostris studijs.

— Petite hinc iuuenesq; senesq;  
Finam animo certum, miserisq; viatica canis,

### Dispositio sequentis membri.

Sequitur Amplificatio superiorum Argumentorum. Habent hic autem studiosi illustre exemplum istius doctrinae Rhetoricæ, de qua & nuper diximus, videlicet, de transferenda Thesi ad Hypothesin & contra. Hactenus enim Cicero laudes Archiæ ad suam personam retulit, ne suspecta esset laudatio. Nunc vero ut ostendat ab ipsis iudicibus magnificandam esse Archiam, singulari quodam artificio à Thesi ad Hypothesin se confert, Argumento ab ipsa Poëtices arte & literarum studijs sumpto.

Ars, inquit, laudem meretur etiam apud eos quæ eam ignorant.

Igitur & Archias laude & admiratione dignus est.

Et subiicit similitudinem ab exemplo Rosij sumptam, qua Argumentum illustrat.

Quales



## PRO ARCHIA.

Quales in Roscio, morum celeritates fuerunt,  
quibus omnium amorem sibi conciliauit, tales ani-  
morum & ingeniorum motus sunt in Archia.

Similitudinem hanc probat, quod multos se-  
pe versus Archias ex tempore composuerit, & ean-  
dem rem commutatis subinde verbis efferre potue-  
rit.

Postremo ( ut in sequenti Paragrapho audie-  
mus ) ostendit Poeticam omnibus alijs artibus esse  
praestantidorem, & tale constituit Enthymema.

Poëtam ipsa natura effingit, & diuino affla-  
tu ornatus est.

Igitur Poëtae sunt diuini.

Id amplificat postea à maiore :

Nulla vnquam barbaries violauit nomen Poëtae,  
Saxa respondent vocibus, bestiae cantu fle-  
ctuntur,

Igitur & nos Poëtarum voces mouere debent.

## TEXTVS ORATIONIS. EIVSQVE EXPLICATIO.

Quod si ipsi hæc neq; Amplificatio su-  
attingere, neq; sensu nos periorum Argu-  
stro gustare possemus, ta- mentorum.  
men ea mirari debemus,  
etiam cum in alijs videremus.

Virgil. de Ænea intueret in clypeo seriem  
Romanae historiae. Miratur rerumq; ignarus ima-  
gine gaudet, Quis

ORATIO CICERONIS

Quis nostrum tam animo *Similitudo à*  
agresti ac duro fuit, ut Ro- *Roscij perso-*  
scij morte nuper non com- *na sumpta.*  
moueretur? Qui cum esset  
senex mortuus, tamen propter excel-  
lentem artem ac venustatem, videba-  
tur omnino mori non debuisse.

Ergo ille corporis motu tantum a-  
morem sibi conciliarat à nobis omni-  
bus, nos animorum incredibiles motus,  
celeritatemq; ingeniorum negligemus?

Roscij morte] *Roscius hic celeberrimus fuit hi-*  
*strion, cuius Cicero meminit in lib. 1. de Oratore. cuius*  
*verba hæc sunt: Ut ad hanc similitudinem huius Hi-*  
*strionis verba dirigamus, videtis ne, quam nihil ab*  
*eo, nisi perfecte, nihil nisi cum summa venustate fi-*  
*at, nisi ita ut deceat, atq; ut omnes moveat atq; de-*  
*lectet? Itaq; hoc iam diu est consecutus, ut in quo quisq;*  
*artificio excelleret, is in suo genere Roscius diceret-*  
*tur.*

Quoties ego hunc Archiam *Probatio si-*  
vidi iudices (utar enim ve- *militudine.*  
stra benignitate, quoniam  
me in hoc nouo genere dicendi tam  
diligenter attenditis) quoties ego huc  
vidi, cum literam scripsisset, nullam, ma-  
gnum

PRO ARCHIA: 120

gaum numerum optimorum versuū  
de ijs ipsis rebus, quæ tum agebantur,  
dicere ex tempore! Quoties reuocatū  
candē rem dicere commutatis verbis  
atq; sententijs? Quæ verò accuratè, cogi-  
tateq; scripsisset, ea sic vidi probari,  
vt ad veterum scriptorum laudem per-  
uenirent.

Cum literam scripsisset nullam ] *Hæc  
phrasi utitur Cicero, cum nihil omnino scriptum  
esse significat, vt in Oratione pro A. Cluentio: In  
quibus tabulis de furto litera inuenitur nulla.*

Dispositio sequentis Pa-  
ragraphi.

*Addit Cicero hoc loco conclusionem superioris  
Syllogismi. Est autem hæc huius membri propositio:  
Iure diligo Archiam, & vos eum diligere & ma-  
gnifacere.*

*Hanc propositionem confirmat, Primum ab  
Honesto.*

*Archias est ex numero Poëtarum, quos Ennius  
sanctos appellat.*

*Ergo est magnificandus.*

*Secundum argumentum ab exemplo sus-  
cipit:*

*Colophonij, Chij & alij singulari contentione si-  
bi vendicant Homerum mortuum.*

*Ergo*

## ORATIO CICERONIS

Ergo nos hunc Poëtam viuum non reijce-  
mus.

Tertium Argumentum sumptum est ab  
utili:

Archias plurimum benefecit populo Roma-  
no.

Ergo ex nostra vrbe non est reijciendus.

Quartum Argumentum ab Exemplo:

Ennius Poëta charus fuit Scipioni, & propter  
ingenium in vrbem receptus est.

Ergo decet & vos Archiam diligere, & in vr-  
be retinere.

Quintum Argumentum etiam ab exem-  
plis sumptum est:

Alexander fortunatum pronunciat Achillem,  
quod is suarum rerum scriptorem habuerit Home-  
rum. Item, Pompeius donauit Theophanem ciuitate  
re, quod eius res gestas descripserat.

His duobus exemplis addit tertium à minoris  
Scylla Hispanos & Gallos milites ciuitatibus  
donauit.

Ergo multo magis hunc Poëtam petentem ci-  
uitate donasset.

Postea annectit quartum exemplum à Metello  
sumptum.

## TEXTVS ORATIONIS. EIVSQVE EXPLICATIO.

Hunc

PRO ARCHIA.

Hunc ego non diligam? non admirer? non omni ratione defendendum putem? Atqui sic à summis hominibus eruditissimisq; accepimus, cæterarū studia, & doctrina, & præceptis, & arte constare, Poëtam natura ipsa valere, & mentis viribus excitari, & quasi divino quodam spiritu afflari.

Conclusio superioris Syllogismi.

Atqui sic à summis hominibus } Vulgo enim dici solet : Poëtam nasci, oratorem fieri. Et Plauto, Omnes, inquit. Poëtae insignes non arte, sed divino afflatu, omnia ista poemata canunt. Idem in lib. 2. de Repub. Poetas deorum filios esse dicit. Et Homerus in Odyss. Iovem Poëtis carmina dictare scribit.

Et quasi divino quodam spiritu afflari } Iuxta illud Ovidij.

*Est Deus in nobis agitante calescimus illo,*

*Sedibus æthereis spiritus iste uenit. idem:*

*At sacri vates & diuū cura vocamur,*

*Sunt etiam qui nos numen habere putent.*

*Pindarus: Naturæ bona antecellunt ijs quæ doctrina & studio comparantur.*

Quare suo iure noster ille Ennius sanctos appellat Poëtas, quod quasi

Primum Argumentum, ab honesto.

E

Deorum

ORATIO CICERONIS

Deorum aliquo dono atq; munere  
commendari nobis esse videantur.

Sit igitur iudices, sanctum apud vos  
humanissimos homines, hoc poëtae  
nomen, quod nulla unquam barbaria  
violavit.

*Quare suo iure ) Primum Argumentum, cuius  
hæc est Dialectica sententia.*

*Sancti sunt magnificiendi.*

*Archias est sanctus, quia est Poëta, cui Innis  
nomen sanctum tribuit.*

*Ergo Archias est magnificendus*

*Hoc Argumentum amplificat à minori hoc modo.*

*Saxa, solitudines, bestiae voce & cœtu mouentur.*

*Ergo & vos voce Poëtae Archiae moveri decet.*

*Sanctos) Sanctum proprie dicitur, quod Deo dicatum est. Iurisperitus dicit sanctum vocari, quod ab hominum iniuria defensum & munitum est, inde sanctos viros & sanctas leges dicimus.*

*Saxa & solitudines voce respondet, bestiae sæpè immanes cantu flentur atque consistunt, nos instituti rebus optimis, non Poetarum voce moueamur?*

*Amplificatio primi  
Argumenti à Minori.*

D. Ipsi.

## PRO ARCHIA.

Delphinum & tumida Lyra flexit Arionis undas,  
Durius his quem non Musica flectit, erit.

Saxa & solitudines) Locus est Physicus. Nam  
in Physicis traditur, in concavitatibus saxorum & iu-  
gis montium reddi vocem, quae Echo vocatur id fit  
hoc modo. Aer percussus voce si defertur ad obstaculum  
curvum & concavum, in eo collectus resultat, & redit  
ad initium unde primum delabi coepit, & quia aer  
eundo & redeundo fit imbecillior, utrimas tantum  
syllabas vocis reducit. Hoc est, quod Cicero hic dicit:  
Saxa & solitudines voce respondunt, id est, saxa &  
solitudines concava ita sono moventur, ut remittant  
aliquot vocis syllabas.

Bestiae saepe immanes cantu flectuntur)  
Sapientissimi homines ut mirares artes non inpe Poë-  
ticam & Musicam puris commendarent, finxerunt  
arbores feras volucres Orpheum ad iratas & can-  
tem secutas esse. Fuit enim Orpheus insignis Poëta  
& Musus, qui agrestes & feros Thraciae populos  
cantu & suavitate permulcens ab inhumanitate tra-  
duxit ad mansuetudinem, unde Horatius:

Sylvestres homines sacrae interpretisq; Deorum  
Caudibus & saedo vultu deterruit Orpheus,  
Dicitur ob id lemne Tigres rapidosq; leones.

Constat autem Poësin & Musicam habere  
summas

## ORATIO CICERONIS

Summam vim ad citendos & permulcendos hominum animos. Nulli enim res ita penetrat in animos, ut harmonia numerorum & vocum, qua qui non moventur, rigidiores sunt feris & arboribus, unde & rectè dicitur: Qui non delectatur harmonia, non est harmonicè compositus. Papistæ ut commendarent eloquentiam Antonij Patavini, hanc fabulam imitari sinxerunt, pisces exercis è mari capitibus audivisse illum in litore Adriatico concionantem.

Et digni sunt memoria versus Virgilij.

Threicius quondam vates fide creditur canora  
Mouisse sensus acrium ferarum,  
Atq; amnes tenuisse vagos,  
Et surda cantu comitasse saxa,  
Sua risonosq; modos testudinis arbores secute,  
Umbram feruntur præbuisse vati.  
Sed placidis hominum dictis fera corda mitigavit  
Doctaq; vitam voce temperavit.  
Iusticiam docuit: cætu quoq; congregavit uno,  
Moresq; agrestes expolivit Orpheus.

Vide Macrobi. lib. 2. in somnio Scip.

Præterea experientia docet feras & bestias mirabiliter Musices dulcedine teneri. Equi tubarum clangore ad pugnam excitantur. Crevi, ut est apud Aristotel. in sibilo & cantu venantium capiuntur. Plinius idem narrat cum inquit: Mira vis  
est



PRO ARCHIA.

Est omnino Musica. Cerui enim fistulis capiuntur, Pisces in stagno Alexandria crepitu derrentur, Cygnos hyperboreos Cythara cantus adducit.

Homerum Colophonij ciuem esse dicunt suum, Chij suum vendicant, Salamini repetunt, Smyrnæi verò suum esse confirmant. Itaq; etiam delubrum eius in vrbe dedicarunt. Permulti alij præterea pugnant inter se atq; contendunt Ergo illi alienum, qui Poëta fuit etiam post mortem expetunt, nos hunc viuum qui voluntate & legibus noster est repudiemus? Præsertim cum omne ingenium contulerit Archias ad populi Romani gloriam laudemque celebrandam. Nam & Cymbricas res adolescens attigit. Etiam ipsi illi C. Mario, qui durior adhæc studia videbatur, iucundus fuit.

Secundum Argumentum ab Exemplo.

Tertium Argumentum à meritis Archia.

Homerum Colophonij De hac contentione studiosi hunc versum observent:

ἴπια πόλεις διερίζουσι πρὸς ῥίζαν ὀμηρῆα  
σμῆρνα, ῥόδῳ, κολοφῶν, σάλαμιν, ἰῶν ἄρα  
χῶν ἀθλῶν.

## ORATIO CICERONIS

Delubrum eius in urbe dedicarunt] *Præ-*  
*terea, Epitaphium Homeri tale:*

Continet hic tumulus vatem cognomine *Home-*  
*rum,*

Qui cecinit laudes *Heroum & fortia gesta,*

*Pindarus: Poeta defunctos ad vitam redi-*  
*unt.*

Præsertim] *Tertium argumentum sumptum*  
*à meritis Archiæ, & in tale Enthymema redigi po-*  
*test.*

*Plurimum benefecit Archias populo Romano.*  
*Ergo iniquum est eum eijcere ex civitate.*

*Antecedens probat Cicero, PRIMO, Archias*  
*enim adolescens descripsit bellum Cymbricum in lau-*  
*dem populi Romani, quod bellum Marius, qui abhor-*  
*rui à literis, contempsit.*

*SECUNDO, Archias descripsit bellum populi*  
*Romani gestum cum Mithridate rege Ponti, de quo in*  
*Oratione pro lege Manilia diximus.*

*Cymbricas res] id est adolescens descripsit*  
*bellum Cymbricum in laudem populi Romani. De*  
*hoc bello lege Plutarchum in vita Marj. Florum*  
*lib. 3. cap. 3.*

*Etiam ipsi illi C. Mario] Plutarchus de*  
*Mario scribit, quod à literis abhorruit, nec ullis præ-*  
*ceptoribus uti voluerit.*

*Necq;*

PRO ARCHIA.

Neq; enim quisquis est  
tam aversus à Musis, qui  
non mandari versibus ater-  
num suorum laborum præconium fa-  
cile patiatur.

*Amplificatio  
terij Argu-  
menti.*

Ovidius :

*Scindentur vestes, gemmae frangentur & aurum,  
Carmina, quam tribuent, fama perennis erit.*

Neque enim ] Amplificatio, cuius hæc est sen-  
tentia: Quilibet cupit labores suos honestis literis ce-  
lebrari.

Themistoclem illum sum- *Exemplum.*  
mum Athenis virum dixit  
se aiunt, cum ex eo quæreretur, quod  
*ἀκρόαμα*, aut cuius vocem lubentissi-  
mè audiret? eius à quo sua virtus opti-  
mè prædicaretur, Itaq; ille Marius  
item eximiè L. Plotium dilexit, cuius  
ingenio putabat quæ gesserat, posse  
celebrari.

*Pindarus: Poetica laudans bonos viros floridè  
vixit.*

Themistoclem illum ] *Exemplis probat præ-  
cedentem rationem.*

*De Themistocle vide Herodotum lib. 7. & 8.  
Fuit autem vir amicus patriæ, quem virtus sua  
victorem, iniuria patriæ Imperatorem Persa-  
rum fecerat, ut se ab ea oppugnando abstineret,*

E 4

*institerit.*

## ORATIO CICERONIS

*instituto sacrificio, exceptum patera tauri sanguinem  
hausit, & ante ipsam aram quasi quaedam pietatis  
clara victima concidit.*

*ἄκροαμα, id est, quam iucundam narratio-  
nem.*

*Ille Marius ] Scilicet, qui prorsus fuit alienus  
à Musis.*

*Libenter fateor me ignorare, an hic Plotius, de  
quo Cicero ait, idem sit is qui & Crispinus dictus fu-  
it, & placita Stoicorum versibus complexus est, quem  
Horatius garrulum & Lippium fuisse notat, cum ait:  
Iam satis est ne me Crispini scrinia Lippi compilasse pu-  
tes. Fuit & Plotius Tucca, amicus & inter haeredes  
Virgilij, & unà cum Varro, Aeneidos emendator. Fuit  
& L. Plotius Rhetor, cuius meminit Cicero, & eius  
vitam Suetonius descripsit.*

*II. Mithridaticum vero bellum  
magnum atq; difficile, & in multa va-  
rietate terra mariq; versatum, totum  
ab hoc expressum est. Qui libri non  
modo L. Lucillum fortissimum &  
clarissimum virum, verum etiam Po-  
puli Romani nomen illustrent.*

*Carmine fit vivax virtus, expersq; sepulchri.*

*Magnum ] Quia duravit quadraginta annos.*

*Difficile ] Quia gestum est terra mariq;.*

*De bello Mithridatico copiosissime à me di-  
ctum*

PRO ARCHIA.

*Quum est in explicatione Orationis Ciceroxis pro lege Manilia.*

Populus enim Romanus aperuit Lucullo imperante, Pontum & Regijs quondam opibus, & ipsa natura regionis vallatum populi Romani exercitus eodem duce, non maxima manu innumerabiles Armeniorū copias fudit. Populi Romani laus est, urbem amicissimam Cizicenorum ex omni impetu regio, ac totius belli ore ac faucibus ereptam esse atq; <sup>+ alij</sup> servatam. Nostra semper feretur ac <sup>confer-</sup> prædicabitur L. Lucullo <sup>vatum.</sup> dicente, cum interfectis ducibus depressa hostium classis, & incredibilis apud Tenedum pugna illa navalis. Nostra sunt trophæa, nostra monumenta, nostri triumphus.

Populus enim Romanus ) *Ut hunc locum discentes rectius intelligant, legenda est Oratio Ciceroxis pro lege Manilia.*

Pontum ) *id est, sedem regis Tygranis seu regnū Mitridatis. Est enim Pontus provincia Asiæ.*

Armeniorum ) *id est, Tygranis, qui se generis suo Mitridati adiunxerat. Vide Plutar-*

*E S chum*

ORATIO CICERONIS

chum in vita Luculli, & orationem pro lege Maniis  
à nobis explicatum.

Populi Romani laus est ) De hac eadem re  
& in Oratione pro lege Manilia dictum est.

Trophæa ] Trophæa sunt spolia hostium capta  
& stipilibus erecta, ut significarent victorias d. hostibus  
fugatis, τροπαι enim signifi- at conversionem.

Quare quorum inge- Conclusio veri  
Argumenti.  
nijs hæc feruntur, ab his  
populi Romani fama celebratur.

Carus fuit Africano Quartum Ar-  
gumentum ab  
Exemplo.  
superiori noster Ennius,  
itaque etiam in sepul-  
chro Scipionum putatur I. Exemplū. Vid  
de Val. Max.  
lib. 8.  
is esse constitutus. Et  
marmoratis laudibus cer-  
rè non solum ipsi qui laudantur, sed et-  
iam populi Romani nomen ornatur.

In coelum huius proavus Cato tolli-  
tur. Magnus honor populo Romano  
adiungitur, omnes deniq; illi Maximi,  
Marcelli, Fulvij non sine communi o-  
mnium nostrum laude decorantur.

Ergo illum qui hæc fecerat \* ali  
rudē.  
\* Rudium tam hominem, magis  
res

## PRO ARCHIA

res nostri in civitatem receperunt, nos hunc Heraclientem multis civitatibus petitum, in hac autem legibus constitutum, de nostra civitate eijciemus &

Carus fuit Africano ] *Quarum Argumentum ab exemplo sumptum est, q. d. Ennius Poeta charus fuit Scipioni, & propter ingenium in urbem receptus est.*

In sepulchro Scipionum ] *Plutarchus scribit ad monumentum Scipionis tres st. tuas esse collocatas, quarum duae Publij & Lucij Scipionum fuisse dicuntur, tertia Ennij Poetae.*

Marmoratis laudibus ] *id est, Quae leguntur in marmore scripta à Poeta. De hac historia vide Livium lib. 2. cap. 18.*

Ennius ] *Qui (ut Lucretius canit) primus amœno detulit ex Helicone perenni fronde coronam. Floruit tempore Scipionis prioris, sub quo etiam stipendia meruisse traditur, ut Claudiano constat.*

*Harebat doctus lateri, castrisq; solebat*

*Omnebus in medias Ennius ire tuas.*

*De hoc Ennio vid. Ciceronem in lib. 2. de Oratore. Item Livium lib. 48. Et Plinium lib. 7. Item Quintilianum, Cuius Ennij Epitaphium celebravit, quod haec est:*

*Aspicie o cives senis Ennij imaginis urnam.*

*Hic vestram pinxit maximam facta pariter.*

*Nemo*

ORATIO CICERONIS

Nemo me lachrimis decoret, nec funera fletus  
Faxit, cur? volito docta per ora virum.

Maximi Marcelli Fulvij) Hi duces fuerunt  
belloꝝ Punicorum.

Rudium) Rudia vetustum oppidum in Cala-  
bria fuit, ubi Ennius natus fuit.

Silius Italicus lib. 12. de Ennio sic inquit,

— Rudia genuere vetusta

Nam Rudia solo memorabile nomen alumno.

Item paulo post:

Saxer hic & magna virorum Aonidum cura est,

— Et dignus Apolline vates.

Hic canet illustri primus bella Itala versu.

Attollitq; duces caelo &c.

Alij legunt rudem hominem, iuxta illud Ovidij.

Virq; suo Martem cecinit gravis Ennius ora.

Ennius ingenio maximus, arte rudis.

Nam si quis minorem Amplificatio  
gloriae fructum putat ex quarum Argu-  
Graecis versibus percipi, menti.  
quam ex latinis, vehementer errat,  
propterea quod Graeca leguntur ab  
omnibus ferè gentibus, Latina suis finibus  
exiguus sanè continentur.

Quare si res haec quas gessimus, orbis  
terrae regionibus definiuntur, cupere de-  
bemus,



PRO ARCHIA.

bemus, quò minus manuum nostrarum  
rela peruenerunt, eodem gloriam fa-  
mamq; penetrare.

Quod cum ipsis populis, de quo-  
rum rebus scribitur, hæc ampla sunt,  
tum ijs certe qui de vita gloriæ causa  
dimicant, hoc maximum & periculo-  
rum incitamentum est & laborum.

Nam si quis ] Amplificatiuncula quarti huius  
Argumenti, q. d. Græca scripta leguntur in omnibus  
fere gentibus, latina in Italia tantum.

Archias scripsit Græcè,

Ennius vero Latine.

Ergo gloria populi Romani scriptis Archiæ ad  
plures gentes perueniet, quam Ennij carminibus. Itaq;  
merito Archias apud vos maiori in pretio sit, quam En-  
nius fuit apud maiores nostros.

Quod cum ipsis ] Clausula quarti Argumen-  
ti. Libris Archiæ non solum gloria populi Romani illu-  
stratur, verum etiam multi eorum lectione ad studium  
virtutis exuscitantur.

Gloriæ causa ] Quia illi ex libris Archiæ pe-  
runt exempla, quæ in vita intueantur & imiten-  
tur.

Quam multos ] Quintum Argumentum  
scriptores rerum suarum etiam ab Exemplis.

arum

ORATIO CICERONIS

rum magnus ille Alexander secum  
habuisse dicitur?

Quam multos] Quint. in Argumentum et-  
iam ab exemplis sumptum.

Magnus Alexander quoties dormiuit, Homerum  
narratur capiti supposuisse suo.

Atq; is tamen cum in Il. Exemplum.  
Sigæo ad Achillis tumulum aduisset,  
ô fortunate, inquit, adolescens, qui tuq;  
virtutis præconem Homerum inuen-  
ris, & verè Nam nisi + illi + alijs.  
ars extitisset illa, idem Ilias extitisset.  
tumulus, qui corpus eius contexerat,  
nomen etiam obruisset.

Cum in Sigæo) Hæc historia est apud Plus-  
tarchum in vita Alexandri, Textus sic habet: Dum  
Alexander coronis ornat statuam Achillis, hunc feli-  
cem appellat, quod eidem vivo fidelis socius, vid li-  
cet, Patrocius, morte s verò clarus præco, videlicet  
Homerus suæ virtutis contigisset. Neq; enim igno-  
tum est quantopere Alexander Magnus delectatus  
est Homeri poemate, cui siue seria, siue iocos tracta-  
ret, etiam cum armaretur in hostem, carmina Homeri  
dicantari solebant cui cum ex spolijs Babylonis in-  
gentu precij scrinium exuro & gemmis esset obla-  
tum & ceteris alijs usui ad res preciosas ass. r-  
uandas id destinarent, Respondit Alexander. Nullus

## PRO ARCHIA.

rei magis idoneam esse eam arculam, quam Homericis poemati asseruando. Nobilissimo enim thesauro non minus nobile vasculum, in quo reponeretur conuenire. Hic studiosi historiolam de Agisilao optimo & sapientissimo Spartanorum rege obseruent, qui nunquam cubitum ire, nunquam cum lecto surrexisset prodire, aut aliquid agere solebat, quin prius quasi solemniter aliquid ex Homero lectitaret, & quoties a negocijs vacuum tempus dabatur, statim ad Homerum properabat, ad Amasium puelamq; suam ire se diducans, unde patet, quanti Homerum aestimatus sit.

Quid noster hic Magnus qui cum virtute fortunam adæquauit? nonne Theophanem Mitylenæum scriptorē rerum suarū in concione militū ciuitate donauit? Et nostri illi fortes viri, et rustici, ac milites dulcedine quadam gloriæ commoti, quasi participes eiusdem laudis magno illud clamore approbaueiunt.

O terq; quaterq; beatos Agricolas, bona si suauorint &c.

Theophanem Mitylenæum] Theophanes Mitylenæus Poeta Græcus, carmine gesta Pompeij Magni descripsit, & propterea, ut Cicero hinc dicit, ab eo amatus, & vrbis Romanæ in concione militum donatus est. Theophanus meminir Ci-

ORATIO CICERONIS

*oero in Epistola ad Atti De eodem Theophane & Plu-  
tarchus & Caesar in Commentarijs de bello civili. Et  
Cornelius Tacitus scribit, inter intimos M. Pompeij  
connun raturum fuisse, & eidem Theophani defuncto  
caelestes honores Græcos tribuisse. Meminit & Strabo  
huius Theophani lib. 13.*

Itaq; credo, si civis Roma. *A Minorè*  
nus Archias legib. non esset, *Ironica.*  
ut ab aliquo Imperatore civitate do-  
naretur, perficere non potuit?

Scylla verò cum Hispanos *1 II. Exem-  
& Gallos donaret, credo hunc plum.*  
petētem repudiaffet, quem nos in con-  
cione vidimus, cui cū libellum malus  
poëta de populo subiecisset, quod Epi-  
gramma in eum fecisset, tantum modo  
alternis versib. longiusculis, statim ex  
his rebus, quas tunc vendebat, iussit ei  
præmium tribui, sub ea conditione, ne  
quid postea scriberet. Qui sedulitatem  
mali poëtæ duxerit aliquo tamen præ-  
mio dignam, huius ingeniū & virtutē  
in scribendo & copiam non expetisset?

Scylla vero cum Hispanos) *Tertium Exem-  
p'um, cuius hæc est Dialectica sententia Scylla Hispa-  
nos & Gallos milites civitatibus donavit.*

Ergo multò magis hunc poëtam Archiam peren-  
tem civitate donasset. *Item: Scyllæ*

## PRO ARCHIA.

Scylla malo poëta premium tribuit.

Ergo multò magis Archiam arte excellentem munere affecisset. Itaq; non decet vos Archiam aspernari.

Quas tunc vendebat ] Nam Scylla post superatum Marium immanem crudelitatem exercuit in illos, quas vel suspicabatur ex Marij parte sterisse multos proscripsit, & proscriptorum bona vendidit.

Dispositio à sequenti Periodo incipiens, & ad Conclusionem siue Epilogum huius orationis sese extendens.

Sequitur quartum Exemplum ab Exemplo Metelli, cuius hæc est sententia :

Metellus cum alios multos ciuitate donarit, Archia Poëta facillime concessit ciuitatem.

Turpe est igitur vos Archiam repudiare.

Antecedens probat : Primo, Quia Metellus Archia familiariter vsus est. Secundo. Quia Metellus cupidus erat audire rerum suarum commendationes. Hæc postremam rationem amplificat. Etologia sumta ex loco communi: Omnes enim homines trahuntur studio laudis.

Ingeniosè autem Cicero adhibet hunc locum communem de gloria, vt ostendat Archiam conseruandum esse. Est enim hæc Ciceronis nuda & Dialectica sententia. Omnes cupimus relinquere gloriam & laudem virtutis,

F

Ergo

## ORATIO CICERONIS

Ergo Poetae, ex quorum numero est Archias, conseruandi sunt, vt nostram virtutem literis celebrent.

Antecedens huius Argumenti probat tribus rationibus. Prima ratio sumpta est à Philosophis. Secunda ab exemplis Brutij & Fuluij. Tertia à suo ipsius exemplo, quod laude delectetur.

Deinde his rationibus absolutis repetit propositionem, quod omnes homines studio laudis irabantur. Hanc autem propositionem per Antithesin amplificat. Primo hoc modo: Nisi speraremus, laudem secuturam esse virtutem, non obijceremus nos tot laboribus & periculis.

Secundo, Amplificat Antithesin à minori.

Statuas & imagines corporum relinquimus.

Ergo multo magis in hoc esse debemus, vt imagines animorum & virtutum relinquamus in Poematibus expressas.

Quid à Q. Metello Pio factum 1111. Exemplum.  
miliarissimo suo, qui ciuitate multos donauit, neq; per se, neq; per Lucullos impetrauisset & qui praesertim vsque eo de suis rebus scribi cuperet, vt etiam Cordubæ natis Poëtis pingue quiddam sonantibus atq; peregrinum, tamē aures suas dederet.

A Q. Metello Pio ) Metellus hic Pius dicitur ob pietatem, quam patriæ prestauit, Sic enim

PRO ARCHIA.

enim de eo scribit Sabellicus lib. 1. Nec Metellus sese cum viæ periculo in medias coniecisse flammias. ut Palladium ex incendio subtraheret, nisi in Pallade diuinum a. i quod numen opinatus esset.

Pingue ) id est. Indoctum. quod pinguis. ut aiunt, Minerva factum est, illis enim Poetis non erat naturalis illa Romana lingua purior.

Neq; enim est hoc dilsi Locus communi- nis de gloria. mulandum, quod obseruari non potest, sed pro nobis ferendum trahimur omnes studio laudis, & optimo quisq; maxime gloria ducitur.

Neque enim ) Amplificat hoc membrum, ut nuper dixi, tribus rationibus.

Trahimur omnes) Sic Cicero lib. 1. de Off. Omnes cum trahimur & ducimur ad cognitionis scientiaq; cupiditatem.

Plin. Laudare est acerrimus stimulus mouendi.

Seneca Gloria umbra virtutis est.

Ipsi Philosophi etiam in illis Prima ratio. libellis, quos de contemnda gloria scribunt, nomen suum inscribunt, & in eo ipso, in quo praedicationem nobilitatemq; despiciunt, praedicari de se ac nominari volunt.

Ipsi Philosophi ) Prima ratio Antecedentis sumpta à Philosophis, cuius hic est sensus: Philosopho

## ORATIO CICERONIS

Philosophi qui modestissimi videri volunt, scribentes de  
contemnenda gloria, tamen suum nomen apponunt,  
ne qui sint, ignorentur,

Ipsi Philosophi, &c.) Idem dicit Cicero lib.  
2. Tusc. Quæst. Quid, inquit, nostri Philosophi? non  
ne ijs ipsis libris, quos scribunt de contemnenda glo-  
ria, sua nomina inscribunt. Sæpè auditis gloriam,  
id est, approbationem propriæ conscientia recte iu-  
dicantium non esse contemnendam. De hac gloria  
Cicero lib. 2. Offic. pulchre dixit: Vera gloria radi-  
ces agit, atq; etiam propagatur, ficta omnia, tan-  
quam flosculi celeriter decidunt, nec simulatum  
quicquam potest esse diuturnum. Idem in Tuscula-  
nis Quæst. Honos alit artes, omnesq; incendimur  
ad studia gloria, iacentq; ea semper, quæ apud quos-  
que improbantur.

Decius quidem Brutus, sum- Secunda  
mus ille vir & imperator Ac- ratio.  
cij amicissimi sui carminib; templorū  
ac monumentorum aditus exornavit  
suorum. Iam verò ille, qui cum Æto-  
lis Ennio comite bellavit Fulvius, non  
dubitavit Martis manubias Musis con-  
secrare. Quare in qua vrbe Imperato-  
res prope armati, Poëtarum nomen,  
& Musarum delubra coluerunt, in ea  
non debent togati iudices à Musarum  
honore



PRO ARCHIA.

honore, & à Poëtarum salute abhor-  
rere.

Decius quidem Brutus) *Secunda ratio an-  
tecedentis sumpta ab exemplo Decij Bruti, &  
Fulvii, cuius hæc est sententia: Brutus templorum  
& monumentorum suorum vestibulis appendit car-  
mina composita ab Accio Poëta in laudem eius. Item  
Fulvius confecto bello Ætolico, ut sibi perpetuam  
laudem conciliaret, prædam Musis consecrauit. Hinc  
igitur videre est, quanta sit in omnibus hominibus  
laudis cupiditas.*

Decius Brutus) *De hoc Bruto vide Liuium lib. 18.  
Amicissimè) De Bruti & Accij familiari-  
tate vide Ciceronem de claris oratoribus.*

*De Accio poëta meminerint studiosi hanc nar-  
rationem: Cum Pacuuius grandi iam ætate & diu-  
tino corporis morbo affectus Tarentum ex vrbe Ro-  
ma concessisset, Accius tunc haud paruo iunior profi-  
ciscens in Asiam, cum in oppidum venisset, diuertit  
ad Pacuuium, comiterq; inuitatus aliquot ab eo die-  
bus retentus, Tragediam suam, cui Atreus nomen  
fuit, desideranti legit, Tum Pacuuium dixisse aiunt,  
Sonora quidem esse quæ scripsisset & grandia, sed vi-  
deri ea tamen sibi duriora paululū & acerbiora. Itaque  
est, respondit Accius, ut dicitis, neq; eius sanè me pœni-  
ret, meliora n fore spero, quæ deinceps scribam. Nam  
quod in pomis est, itidē inquit esse aiunt in ingenijs*

*Quæ dura & acerbæ nascuntur, post fiunt mi-  
ria & iucunda, sed quæ gignuntur statim mollia et*

## ORATIO CICERONIS

vires atq; à principio sunt viuida, non sunt maru-  
ra ed putrida.

Cum Aetolis ) De bello Aetolico vide Liuium  
lib. 2. Et Florum lib. 2. cap. 9.

Manubias ) Manubiae est praeda ab hostibus ca-  
pta. Gellius lib. 13. cap. 23. discrimen ponit inter  
praedam & Manubias his verbis: Praeda, inquit, di-  
cuntur corpora ipsa rerum, quae capta sunt. Manu-  
biae vero appellatae sunt pecuniae, quae à Quaestore  
ex venditione praedae redactae sunt.

Atq; ut id libentius facia- Tertia ratio.  
tis, iam me vobis iudices in-  
dicabo, & de meo quodam amore glo-  
riae nimis acri fortasse, veruntamen  
honesto vobis confitebor.

Nam quas res vos in consulatu ve-  
stro vobiscum simul pro salute huiusce  
imperij, & pro vita omnium civium,  
proq; vniuersa Repub. gessimus, atti-  
git hic versibus atq; inchoauit, quibus  
auditis, quod mihi magna res & iu-  
cunda visa est, hanc ad perficiendum  
hortatus sum.

Atque ut id libentius ) Tertia ratio antece-  
denti à suo insus exemplo. cum haec est sententia,  
Ipse laude delector. Cum enim aud rem res gestas in  
meo consulatu ab Archia scribendo inchoatas esse,  
inhoratus sum eum, ut opus inchoatum absolueret,  
meumq; nomen illustraret, Facia-

PRO ARCHIA.

Faciatis) id est, *Vi Musas in honore habeatis.*  
& *Poetae sicut amici.*

De meo quodam amore) De studio & amore gloriae, quo Cicero semper flagrauit, ita scribit *Baptista Fulgosus*: Huius gloriae desiderio incensus *Marcus* quoque *Tullius Cicero*, longa Epistola à *Lucio Luceio* ciue Romano enixe petijt, ut *Catilinariae* coniurationis historiam seorsim ab alijs rebus ad propagandam nominis sui famam scribere vellet, neque abstulit illud quoque deponere, ut in ea etiam aliquid amicitiae daret, ipsaque vivente eam ederet, ut vivens gloria sua perfrui posset. Adeo enim magna est in plerisque haec gloriae sitis, ut quanquam Cicero per eloquentiam aeternum sibi comparasset nomen, eam quoque quae ex sapienter ac praecclare gestis in administratione Reipublicae sequi solent vendicare sibi cuperet,

Nullam enim virtus aliam mercedem laborum periculorumque desiderat, praeter hanc laudis & gloriae, qua quidem detracta, iudices, quid est, quod in hoc tam exiguo vitae curriculo, & tam brevi, tantis nos in laboribus exerceamus?

Nullam enim virtus) Redit ad locum de gloria, & reperit propositionem: Omnes studio laudis trahimur. Et hanc amplificat I. per Antithesin. I. I. Amplificat à minori.

## ORATIO CICERONIS

Nullam enim ) *Vt nos finem bonorum in æterna beatitudine collocamus: Ita veteres Romani nihil magis experendum esse quam gloriam putabant ad eam omnes labores, omnia pericula, etiam vitæ amissionem referebant, cuius beneficio nomen suum fieri immortale arbitrabantur, eaq; gloria animam post hanc vitam delectari.*

Certe si nihil animus *Ab Antithesi.* præsentiret in posterum, & si quibus regionibus vitæ spacium circumscriptum est, iisdem omnes cogitatus terminaret suos, nec tantis se laboribus frangeret, neq; tot curis vigilijsq; angeretur, neq; toties de ipsa dimicaret. Nunc insidet quædam in optimo quoq; virtus, quæ noctes ac dies animum gloriæ stimulis concitat atq; admonet, non cum vitæ tempore esse dimittendam commemorationem nominis nostri, sed cum omni posteritate adæquandam.

Si nihil animus præsentire ) *id est, Nisi prævideret animus, se solum corpore manere & immortalem esse.*

Terminaret ) *id est, Si animus interiret vna cum corpore.*

Nunc insidet ) *Cum sciamus post hanc vitam animum nostrum esse immortalem.* Com-

PRO ARCHIA.

Commemorationem nominis ) Nam si  
animus cum corpore interiret, commemorationem  
nominis dimitteret.

Quam avidi ac cupidi fuerint Romani gloriae &  
magnum nominis, ostendunt historiae Scipionis Africa-  
ni, Pompeij Magni, Q. Fabij, Iulij Caesaris, Adriani  
Seueri, M. Ciceronis, L. Syllae Dictatoris, C. Caligulae,  
Neronis, &c.

Vita quid est? labor est, & habendi vana cupido.

Tristis ad extremum sollicitudo diem.

An verò tam parui animi videamur  
esse omnes, qui in repub. atq; in his vi-  
tae periculis laboribus

que versamur, vt cum *haec dicta sunt, no-*  
vsq; ad extremum spa- *tat enim cursum*  
cium nullum tranquil- *humanae vitae.*

lum atq; otiosum spiritum duxerimus,  
nobiscum simul interitura omnia ar-  
bitremur?

An cum statuas & imagines non *Ami-*  
animorum simulachra sed cor- *pori,*  
porum, studiosè multi summi homines  
reliquerint consiliorum relinquere, ac  
virtutum nostrarum effigiem, nonne  
multò malle debemus sumis ingenijs  
expressam & politam? Ego verò omnia  
quae gerebam, iam tum ingerendo

ORATIO CICERONIS

spargere me ac disseminare arbitrabar, in orbis terræ memoriam sempiternā. Hæc verò siue à meo sensu post mortem ab futura est, siue, vt sapientissimi homines putauerunt, ad aliquam animi mei partem pertinebit, nunc quidem certè cogitatione quadam speq; delector.

An cum statuas ] Secundo amplificat à minori: Statuas & imagines corporum relinquimus.

Ergo multò magis conari debemus, vt animorum & virtutum imagines in poematibus expressas, relinquamus.

Hæc vero siue à meo sensu ] Obseruent hic studiosi, quod humana ratio sine sacrarum literarum cognitione de Deo eiusq; essentia & voluntate prorsus nihil intelligat. Vides enim hic optimum & sapientiss. virum Ciceronem dubitare de immortalitate animæ, resurrectione mortuorum, & vita æterna post hanc miseram & ærumnosam vitam secutura, de qua nos Dei gratia in Ecclesia certissimi sumus. Vt itaq; Virgilius suum Poema hoc versu finiuit: Vitaq; cum gemitu fugit indignata sub umbras. Ita Cicero in dubitatione de immortalitate suam hanc Orationem concludit.

Siue à meo sensu ] Id est, siue sensero post mortem, me res præclaras gessisse, siue non sensero, tamen cogitatione mearum rerum gestarum & spe delector.

Hæc

## PRO ARCHIA.

Hæc ver. siue à meo sensu & c.) Apud Eth:  
nicos variis fuisse opiniones de immortalitate ani-  
mæ ostendet Elegia Tibulli quæ sic habet.

Quin etiam mea tunc tumulus cum texerit ossa.  
Seu matura dies fato properat mihi mortem,  
Longa ma. et ceu vita tamen mutata figura,  
Seu me finget equus rigidos percurrere campos  
Ductum seu tardi pecoris sim gloria taurus,  
Siue ego per liquidum volucris vehor aëra pennis  
In quemcunq; hominem me longa receperit ætas  
Inceptis de te subtexam carmina chartis.

De animæ immortalitate vide plura apud Vir-  
gilium lib. 6. Æneidos.

### Dispositio Epilogi siue Conclu- sionis huius Orationis.

Sequitur postrema huius Orationis pars, videli-  
cet conclusio, quæ vt & reliqua huius orationis  
membra, iuxta præcepta Rhetoricæ nostræ facta est.  
Primo enim repetit præcipua membra, de quibus in  
sota Oratione dixit. Deinde mouet affectus.

I. Archias ab amicis suis comprobatur, ma-  
gniq; æstimatur, cum propter dignitatem tum ve-  
rustatem artu.

II. A summis viris eius ingenium expet-  
tum est.

III. Legitimus ciuis est Romanus testimo-  
nijs

## ORATIO CICERONIS

*nys Legatorum Heracliensium, Luculli & tabularum Metelli.*

III. Bene meritus est de populo Romano & Romanorum Imperatoribus.

V. Promisit Archias, se meas res, gestas in Consulatu literis celebraturum esse.

VI. Archias in numero Poëtarum est, qui semper sancti habiti sunt, & ab omnib. bonis viris amati. Ergo dignissimus est Archias, ut à vobis in vrbe conseruaretur.

## TEXTVS ORATIONIS EIVSQUE EXPLICATIO.

*Conclusio  
orationis.*

I.

II.

III.

IIII.

Quare conseruate iudices hominem pudore eo, quem amicorum studijs videtis probari cum dignitate, tum etiã venustate Ingenio autem tanto, quanto id conuenit existimari, quod summorum hominum ingenijs expetitum esse videatis. Causa verò eiusmodi, quæ beneficio legis, autoritate municipij, testimonio Luculli, tabulis Metelli comprobetur.

Quæ cū ita sint petimus à vobis iudices, (si qua nō modo humana, verum etiã diuina in tātis negocijs commēdatio debet esse) ut eū qui vos, qui vestros

Impe.



PRO ARCHIA.

Imperatores, qui populi Romani res  
gestas semper ornauit, qui etiam his re  
centibus nostris vestrisq; domesticis  
periculis, æternum se testimoniū lau-  
dum daturum esse profitetur, isq; est  
in eo numero, qui semper apud o-  
mnes sancti sunt habitiatq; dicti, sic  
in vestram accipiatis fidem, vt huma-  
nitate vestra leuatus potius, quam  
acerbitate violatus esse videatur.

v

vi.

Quæ de causa pro mea consuetudine  
breuiter simpliciterq; dixi, iudices, ea  
confido probata esse omnibus, quæ nõ  
fori neque iudiciali consuetudine, &  
de hominis ingenio, & communiter  
de ipsius studio locutus sũ, ea iudices,  
à vobis spero esse in bonam partem ac-  
cepta, ab eo qui iudicium exercet cer-  
tè scio.

Ingenio autem tanto ] *id est, Tantam ad po-  
liticam vim ingenitam & quasi naturalem.*

Benefico legis ] *scilicet Syllanæ & Carbonis.*

Autoritate municipij ] *scilicet Heracleæ, cu-  
ius Legati testabantur Archiam esse ciuem.*

Testimonio Luculli ] *Qui dixit se non opi-  
nari, sed scire quod Archias sit ciuis.*

Tabu-

ORATIO CICERONIS

Tabulis Metallis) Scilicet in quibus nullam li-  
turam in nomine Archiae vidistis.

Verum etiam diuina) Nam Dei voluntas  
est, ut illi qui diuinis donis ornati sunt, magni  
fiant.

In tantis negocijs) Scilicet, ut docti viri in  
Repub. conseruarentur. Sine horum enim adminicu-  
lo, ut recte Plato sensit, Respub. non possunt conser-  
uari.

Domesticis periculis) intelligit Catilinari-  
am co'spirationem quae à Cicerone sopita fuit quam  
Archias carmine describere inchoauit, ut Cicero antea  
dixit.

Ouidius:

Est Deus in nobis, agit ante calescimus illo,  
Impetus hic sacrae semina mentis habet.

De causa) Scilicet Archiana defendendo eam,  
& quae ab accusatore obiecta sunt, refutando, ut soleo  
alijs in causis facere.

In bonam partem accepta) Postu'auerat e-  
nim Cicero à iudicibus, ut paterentur eum vii nouo  
quodam & inusitato genere dicendi.

Certè scio) Scilicet in bonam partem accepta  
esse ea, quae dixi de Archia.

HABETIS DEI GRATIA  
breuissimam

## PRO ARCHIA.

Breuem & Dialecticam huius Orationis enarrationem, quam nullam aliam ob causam institui, nisi ut vos in praeceptis artis Rhetoricæ confirmarem, & in dicendo & scribendo exercerem. Est autem haec Oratio ad plures Rhetorum, ut manifestè ostendimus, diligentissime conscripta. Deinde genus orationis purum, perspicuum ac simplex, ut ipse Cicero testatur, continet. Cum autem in Phædro Platonis gravissimè dicatur, ideo discendam esse Dialecticam & Rhetoricam, ut Deo grata & hominibus salutaria dicamus, hortor studiosos more meo solito, ut plurimum studij, multumque exercitationis in formanda lingua & facultate bene dicendi ponant. Si enim Ethnici, quibus nulla veri Dei & sinceræ religionis fuit cognitio, summum studium in colenda eloquentia ponendum esse statuerunt, quanto magis nos, qui sumus membra veræ Ecclesiæ Dei, omnia nostra studia eò referre debemus, ut oratione propria ac perspicua gloriam Dei propagemus. Hanc enim ob causam vita nobis datur & prolongatur, ut illustremus gloriam Dei, & alijs vsui simus, ut in Psalmo dulcissimè dicitur: Non moriar sed vivam, & laudabo nomen Domini. Ut autem optimum dicendi modum vobis comparemus, singulari consilio scripta Ciceronis in scholis conservantur. Eloquentia enim ex nullo auctore facilius & elegantius discitur, quam ex Cicerone, ut alias sæpius & copiosè à me dictum est.


Filius

ORAT. CIC. PRO ARCHIA.

*Filius Dei seruet Ecclesiam, & pias scholas,  
vt mentes iuniorum recte erudiantur & ad grauif-  
simarum rerum doctrinam feliciter præparentur.  
Idem etiam ingenia nostra in propagandis bonis ar-  
tibus clementer adiuuet. Non enim ignorat omnem  
nostram curam, labores & vigilias eò specta-  
re, vt iuuentus rectè erudiatur,  
& suorum laborum fru-  
ctum percipiat.*

FINIS.







Ca 2008


ULB Halle 3  
006 764 517




Sb.

WDM

MS







84 2.2  
1936

Explicatio  
**ORATIO**  
NIS CICERONIS PRO  
ARCHIA POETA, OSTEN-  
dens usum artis Dialecticæ & Rhet-  
toricæ, tradita in Schola Lunæ-  
burgensi.

Ab  
*Alberto Lenicero Rectore.*



16

05

WITTEBERGAE,  
*Excudebat Laurentius Senberlich,*  
*Impensis Samuelis Selsisch.*

